VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
18 D
22
*703
E.6.48.
11
14-9.D.9.

VI G 906 30

ARISTOTELIS LIBELLI, QVI Parua naturalia VVLGO APPELLANTVR: VIDELICET

De ſenſibus, & ijs quæ ſenſibus percipiuntur.
De memoria & recordatione.
De ſomno & uigilia.
De ſomnijs.
De diuinatione per ſomnum.
De motu animantium.
De diuturnitate & breuitate uitæ.
De adoleſcentia & ſenectute, uita & morte.
De reſpiratione.

IOACHIMO PERIONIO interprete.

Eiuſdem Perionij in eoſdem libellos Obſeruationes.

Item rerum & uerborum in iiſdem memorabilium Index.

BASILEAE, PER IOannem Oporinum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
71-10

D. CAROLO LOTHARINGO, CARDINALI GVSIANO, Pontifici Remorum, Abbatiq́; D. Pauli apud Cormœriacum, Ioachimus Perionius Benedictinus Cormœriacenus S. P. D.

CVM philoſophia omnis per ſe res quædam præclara eſt, hominisq́; cognitione digniſsima: tum uel maximè ea illius pars, quæ de natura diſſerit, tantam dignitatē, utilitatemq́; & oblectationem habet, ut cum excellentibus artibus comparata, eas longè ſuperare uideatur. Quod quidē etſi grauiſsimis firmiſsimisq́; rationibus hoc loco doceri poteſt, tamen quoniam hoc aliàs conati ſumus facere, nunc tantum ex rerum in quibus uerſatur, multitudine ac uarietate perſuadendum putaui. Nam cum ex his quatuor notis naturis omnia conſtent, cœleſtesq́; globi hæc omnia quaſi rerum initia complexu ſuo coerceant, eorum omnium hæc ars una, ratioq́; naturæ ſcientiā profitetur. Nihil

eſt enim tam in cœlis arduũ, tamq́ʒ excelſum, quò non hominũ qui hanc primi inuenerũt, acies animi penetrauerit. nihil tam abſtruſum atq́ʒ abditum in terræ uiſceribus, quod non illi eruerint: nihil tam demerſum in mari, quod nõ ſint diligentia laboreq́ʒ cõſecuti: res deniq́ʒ nulla in cœlo, igne, aere, aqua, terraq́ʒ uiget, cuius non cauſas diligẽtiſsimè perſecuti ſint. Quem ego locum ſi copioſè tractare uelim, ſingillatimq́ʒ omnia explicare, citius me dies deficiet, quàm oratio. Sed ſatis eſt perſpici, quàm longè lateq́ʒ hæc ſiue ars, ſiue ratio pateat, ut quæ ex eius ſtudio utilitas, quæ oblectatio percipi poſsit, intelligatur. Quòd ſi uno uerbo quid de eius amplitudine tenendum ſit, exponendum eſt, quicquid Plinius ſeptẽ & triginta illis libris complexus eſt, id ferè ratio naturæ complectitur. Hanc quidem philoſophiæ partem tertiam, ut reliquas duas, Ariſtoteles maximo uir ingenio, omnibusq́ʒ bonis artibus præditus, Græco ſermone, reprehenſis correctisq́ʒ aliorum ſententijs, explicauit. Sed cum eam ab illo nõnulli ad noſtrorum hominum cognitio

nem

nem transferentes, tam illoto, tamq́; inculto ſermone tractauiſſent, ut in facie reginæ artium Philoſophię, quę ornatu ſuo honeſtiſsima erat, deformitas quædam & macula inuſta uideretur: quod in alijs duabus partibus iam feci, ut priſtinam illam ſuam pulchritudinẽ, quam amiſerant, recuperaſſe magna ex parte uideantur: id mihi in hac quoq; parte faciendum iudicaui, ijs præſertim in libris qui in ſcholis publicis legi & explanari ſolent. Itaque cum alios alijs clariſsimis hominibus libros, quos ipſe de Natura ſcripſit, à me editos miſiſſem, illa omnia eiuſdem opuſcula, quæ Parua naturalia uulgò nominantur, in tuo nomine apparere uolui, ut qui anno ſuperiore Topica Theologica noſtra accepiſſes, idem etiam haberes à nobis aliquid eorũ quę ab Ariſtotele tranſtuliſſem. Nec uerò caſu factum eſt, ut hos ad te potiſsimùm libros mitterem, ſed conſilio atq; ratione: habuiq́; in eo & meæ facultatis rationẽ, & dignitatis tuæ. Nam & nitorem eum adhibui orationis, qui hominum ſtudia ad legendum excitare poſſet: & libelli ipſi eas res cõtinent, quas, quoniam hu-

manæ ſunt, cognitione tua nõ indignas iudicabis. Nam in primo, ut ab eo primùm ordiar, de ſenſib. agitur, ĳsq́ʒ quæ percipiũtur ſenſibus: qua ex diſputatione falſas ueterum philoſophorũ de cernendi ratione ſententias cognoſces, Ariſtotelisq́ʒ uerißimam, quam omnes ſequuntur. Eſt illa quoq́ʒ præclara de colorum generibus, eorumq́ʒ origine diſputatio: nec minus iucunda ea, quæ in exponendis ſaporum generibus, ac mutationibus, ĳsq́ʒ rebus omnibus quæ ſapore præditæ ſunt, & quæ non præditæ, tota cõſumitur. Quid uerò dicam, quantum oblectationis habeat locus ille, quo & de odorũ ui, generibusq́ʒ idem diſſerit: & contra Pythagoreos animãtia nulla eſſe docet, quæ odore uictitent? Iam uerò ut ad proximum librum, qui eſt de memoria & recordatione, ueniamus, tenere quid ſit memoria, quid à ſenſu, ſpe, recordatione, doctrinaq́ʒ differat, quibusq́ʒ in rebus cernatur, & qua in parte animi ſita ſit, quæ res eã pariant, partãq́ʒ conſeruent, in quibus beſtĳs reperiatur, qui homines eadem ualeant aut non ualeant, & cur: hęc inquam tenere, ſummę

cuiuſdam

cuiuſdam eſt & utilitatis & uoluptatis. Nec minorē uoluptatē is qui proximè ſequitur, promittit. Nā & quid ſomnus ſit explicat, & qua in parte animi primū inſit, & an cuncta animantia dormiant, & cur ſomni cupiditate ducātur, ac dormiant: id eſt, quæ ſint ſomni cauſæ efficientes, qui etiā ſomno opprimi uel non opprimi natura ſoliti ſint: quę iucunditatis plena eſt oratio. Quid uerò de ſomnijs dicam? an non eorū ratio tota oblectationis eſt? ueluti quid ſomnium ſit, quaq; animi parte ſomniemus, quæq; ſint cauſæ efficiētes ſomniorū. Quæſtio etiā illa de diuinatione ex ſomnijs, quæ philoſophorū animos multū exercuit et anxit, peperitq; inter eos magnas diſſenſiões, eo libello qui de ea re ſcriptus eſt, acutiſsimè explicata, cauſarū eius diuinationis expoſitione, magnam animo tuo oblectationē uoluptatēq; afferet, & ad intelligēdos libros Ciceronis de eadem quæſtione maximū adiumentum. Reliqui ſunt libri, aut libelli potius, de motu animantiū, de diuturnitate & breuitate uitæ, de adoleſcentia & ſenectute, de uita & morte, de reſpiratione: in quibus

quibus quantũ ſimul & utilitatis & uoluptatis ex cauſarum cur quicq; eorum eueniat cognitione, percipi poſsit, nulla oratione exprimere poſſum. Hæc quidem omnia Ariſtotelis opuſcula, ut in Græcis exemplaribus diſtincta ſunt, ad te mitto: ut quib. nunc officijs poſſum, dum maiora molior, meam in te fidem, perpetuamq; obſeruantiam declarem: quæ ut tibi grata ſint, te uehemẽter etiã atq; etiam rogo. Vale clariſsime Cardinalis. Lutetiæ Pariſiorum.

XIIII. Cal. Maij.

M. D. L.

ARISTOTELIS DE Senſu, & ijs quæ ſenſibus percipiuntur, Liber, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

QVoniam de animo per ſe antè explicatum eſt, ac de facultatibus uniuſcuiuſq; eius partiũ ſigillatim: ſequitur ut quænam animãtium, eorũq; omnium quæ uitæ beneficio utũtur, propriæ ſint actiones, quæ communes, conſideremus. Ac ea quidem poſita ſint, quæ de animo diximus. De cæteris autem, ac primùm de primis diſſeramus. Conſtat quidem ea quæ maximum pondus habent, communiáq; ſunt & propria animantium, communia animi eſſe ac corporis: quo in genere eſt ſenſus, memoria, ira, appetitus, et uno nomine cupiditas, & præterea uoluptas, ac dolor. Hæc enim ferè in omnib. animalibus reperiũtur. Præterea eorũ partim omniũ quibus uita data eſt, cõmunia ſunt, partim animantib. quibuſdã conueniũt. Horũ autẽ ea quæ maximũ pondus habent, cæteriſq; præſtãt, quatuor tantũ parib. continentur: ut uigilia & ſomnus, adoleſcentia & ſenectus, ſpiratio & exſpiratiò, uita & mors: quæ quid ſint, ac quib. ex cauſis eueniãt uidendũ eſt. Phyſici etiã eſt, ualetudinis ac morbi primas cauſas animaduertere, præſertim cum nec ualetudo nec morbus in ea quæ uita careant, cadere poßit. Itaque ferè ij omnes qui in naturæ ratione uerſantur, & medici qui arte accommodatè ad philoſophiam præditi ſunt, maxima ex parte uel in ijs quæ ad medicinã pertinent, finẽ artis faciunt ac ſtatuunt:

uel certè ex ijs quæ naturam attingunt, principiū du centes, de medicina diſputare ſolent. Ea *aūt quæ dicta ſunt, communia & animi eſſe & corporis, hinc ſciri poteſt: quòd eorū partim cū ſenſu coniuncta ſunt, partim à ſenſu proficiſcuntur, ita tamen, ut quædam eius affectiones ſint, alia habitus, nonnulla cuſtodiæ atq; cōſeruationes, aliqua interitus & priuationes.* Senſum *aūt à corpore animo euenire, tum ratione doceri poteſt, tū ſine ratione intelligi.* Sed *de ſenſu et ſentiēdi officio ac munere. & quam ob cauſam animantibus hæc affectio cōueniat, in libris de* Animo *diximus.* Animātibus *aūt, qua ex parte unūquodq; animal eſt, ſenſus conuenit.* Hoc *enim ipſo animalis naturā à non animali diſtinguimus.* Ac *de his quidem ut ſigillatim diſſeramus, tactus & guſtatus in omnia cadunt neceſſariò: ita tamen, ut tactus propter eā cauſam quā in libris de* Animo *diximus, cadat, guſtatus propter cibū et alimētum.* Hic *enim ſenſus ſalutarem cibū à peſtifero ita ſecernit, ut inſuauē & ingratū fugiat. ſalutarē gratūq; appetat: omninoq; ſuccus ac ſapor eius eſt partis animi affectio, quæ alēdi uim habet.* Ii *aūt ſenſus qui à rebus extrinſecus adhibitis oriuntur, ut odoratus, ut auditus, ut aſpectus, ijs animantibus quæ gradiuntur, omnibus quæ ijs quidē prædita ſint, conſeruationis ſalutiſq; cauſa dati ſunt, ut & præſentiendo paſtum quærant, & exitioſū peſtiferumq; declinent.* Iis *aūt quæ etiam prudentia prædita ſunt, ſenſus eoſdē natura attribuit, ornatus dignitatiſq; cauſa, quippe cū multas diſsimilitudines nucient, quib. tū eorū quæ ſub intelligentiā cadunt, tū eorū quæ agenda ſunt, ſcientiā prudentiamq;*

ſentiamq; adipiſcuntur. Horũ aũt in ijs quidem quæ neceſſarium uitæ cultũ deſiderant, aſpectus etiam per ſe ac ui ſua plus poteſt, in percipiendo et intelligendo aliena ui. auditus propterea, quòd multas ac uarias rerum diſtinctiones explicet: aſpectus autẽ uis propterea, quòd omnia corpora colore perfuſa ſint. Itaque hoc ipſo ſenſu ea quæ ſunt omniũ cõmunia, percipiuntur maximè. communia autẽ appello, ut figurã, magnitudinem, motum, ſtatum, numerũ. Auditus uerò ſonorum diſsimilitudines ſolum declarat, paucis aũt etiam uocis & orationis: auditus aũt aliena ui ad diſcẽdum & percipiendũ maximũ affert adiumentũ. Oratio enim & ſermo doctrinæ cauſa eſt, cũ audiatur, nõ per ſe, nec ui ſua, ſed per aliud, cũ ex nominibus conſtet, quorũ quodq; ſit nota. Itaq; cæci ij qui utroq; horũ ſenſuũ à primo ortu priuati ſunt, aptiores ſunt ad diſcendũ, quàm ij qui à primo ortu ſurdi ſunt. Ac de ui quidem quæ cuiq; ſenſui data eſt, antè dictum eſt.

Corporis autẽ partes, quibus naſci & exiſtere ſenſus ſoleant, nonnulli quidẽ pro elementorum, ex quibus corpora conſtãt, ratione exquirũt: et cũ nõ poſſunt ad quatuor illas ſedes ſenſus, qui quinq; ſunt, adhibere, de quinto hærẽt. Faciunt aũt omnes aſpectũ, uim naturãq; igneã imitari, quòd cauſam alicuius effectus ignorẽt. Cũ enim torquetur ac mouetur oculus, tũ ignis ſpecies elucere ac prodire uidetur, quod in tenebris, uel cũ palpebræ obductæ ſunt, ſolet cõtingere: tũ enim etiã in tenebris accidit. Quod etiã aliã dubitationẽ affert. Si enim nõ ita eſt, aliquis ſentiẽs et cernens quippiã quod cernatur, ignorabit. neceſſe ergo erit, Cap. 2.

eundem ſuum oculum cernere. Cur igitur ei quieſcen-ti idem non uſuuenit? Sed huius rei cauſa, & quæſtionis, cur aſpectus ignis eſſe uideatur, hinc intelligenda eſt. Solitæ ſunt enim res læues in tenebris micare, non tamen lumen ex ſe profundunt: pupilla aũt oculi quæ medium locũ tenet, læuis uidetur. Hoc *uerò apparet, cum oculus torquetur, propterea quòd unum quaſi duo eſſe uideatur: quod quidẽ motus celeritas efficit, ut aliud uideatur eſſe id quod cernit, & quod cernitur.* Itaque *non ita fit, niſi citò, et in tenebris id eueniat: propterea quòd ea quæ læuia ſunt, in tenebris micare ſolent: ueluti piſcium quorundam capita, & ſepiæ atramentum.* Quòd *ſi lentè oculi moueantur, non contingit ut ſimul duo & unũ, id quod cernit, quodq; cernitur, eſſe uideatur.* Illo *autem modo ſe ipſe oculus cernit, quemadmodum etiam in relatione.* Alioqui *ſi ignis eſſet, quemadmodum &* Empedocli *placet, & in* Timæo *ſcriptũ eſt, aſpectusq; exeũte quaſi ex lucerna lumine eueniret, cur etiã in tenebris oculi non cernerent?* Nam *aſpectum extingui dicere in tenebris, cum exit, id quod* Timæus *confirmat, prorſus nihil eſt.* Quæ *enim luminis extinctio eſt?* Omne *enim quod calidum & ſiccum eſt, uel humore uel frigore extinguitur: ut ignis qui in prunis eſt & flamma, quorum neutrum lumini contingit.* Quòd *ſi fortè contingit, ſed propter paruitatem id nos fugit, profectò & interdiu & in aqua extingui lumen oporteret: et cum gelu omnia obrigeſcunt, maximè tenebras exiſtere.* Flãmæ *enim hoc, iiſq; naturis & corporibus quæ deflagrant, contingit.* Nunc *uerò nihil tale uſuuenit.* Empedocles

autem

autem in ea ſententia interdum uidetur eſſe, ut aſpectum dicat, id quod antè dictum eſt, lucis ex oculis emißione oriri. Scribit enim hoc modo:

Vt cum mente uiam quis agens noctis ſub opacum,
Præparat is lychnum, torrentis lumen & ignis
Laternamq́; aptat, quæ uentos arceat omnes.
Dißipat hæc flantis tum dura incommoda uenti:
At lux exiliens, proprium diffuſa per orbem,
Collucetq́; uiæ, radijs pellitq́; tenebras.
Haud aliter tunicis clauſus ſubtilibus ignis,
Per pupillarem citius diffunditur orbem.
Ingentem hæ prohibent circumlabentis aquæ uim:
Ignis at excurrit, quantum ſe fundere poßit.

Atque hoc quidem modo nos interdũ ſentit cernere. Interdum autẽ ijs fluxionibus, quæ proficiſcantur à corporibus quæ uidentur. Democritus uerò, quòd aquæ naturã aſpectum imitari dicit, rectè ſentit: quòd autem aſpectum ſplendorem, diluciditatemq́; ipſam eſſe ait, non rectè. Hoc enim contingit, propterea quòd oculus leuis & planus eſt, nec in eo quod cernitur ineſt, ſed in eo quod cernit. Relatione enim id efficitur. Sed nihil omnino etiam nota ei erant ea quæ de rebus ſpeciem ſui præbentibus, & de relatione uerè traduntur. Abſurdum eſt ei etiam nõ ueniſſe in mentẽ quærere, cur oculus tantum cernat, aliarum autem rerum nulla, in quibus imagines exprimantur. Ac illud quidem uerum eſt, aſpectum aquæ naturam imitari: ſed tamen non cernimus, quia aqua eſt, ſed quia perlucidus eſt oculus, quod etiam cum aere commune habet: ſed facilius & diuturnius aqua, quàm aer ſeruari &

retineri poteſt. Itaque pupilla & oculus naturam aquæ imitantur. quod etiam res ipſa declarat. Nam & quod defluit ex oculis cum labefacti ſunt, aqua planè uidetur: & in iis qui admodum pueri infantesq; ſunt, ſplendore ac fulgore præſtat. & albugo oculorum in iis quidem animantibus quæ ſanguinem habent, pinguis ſanguinisq; plena eſt. q, eo à natura effectũ eſt, ut humor ipſe liquoris expers permaneat: ob eamq; cauſam pars eſt nulla corporis, quæ tardius ac minus quàm oculus, frigoris incõmoda ſentiat. Neq; enim ad huc ea pars quam palpebræ obducunt, frigore obrigu it. Eorũ aũt animantiũ quæ ſanguine carent, oculi corio duro tecti ſunt, idq; pro operculo ualloq; eſt. Sed hoc planè abſurdũ eſt, quod aiunt nonnulli, aſpectum extra oculos micando cernere, permanareq; uſq; ad aſtra, aut ad aliquã uſq; rem, egrediẽdo cũ ea coniungi atq; cõfundi Hoc enim præſtat dicere, ipſum lumẽ initio cum oculo coniungi: quanquã hoc etiam ſtultũ eſt putare. Quid eſt enim, lumen cũ lumine cõiungi? aut quî tandẽ hoc fieri poteſt? Neq; enim quæuis res cũ quauis coniungitur: & res quæ inſita eſt cũ externa, quo tandẽ modo? cũ membrana interiecta ſit. Nos quidem aliis libris hoc docuimus, aſpectũ rei nullius ſine luce ullo modo poſſe exiſtere. Sed ſiue lumen, ſiue aera inter rem quæ cernitur, et oculũ interiectũ ponamus: profectò pulſus is qui ab eo agitatur, facit ut cernamus. Nec uerò ſine cauſa id quod interius eſt, aquæ naturã imitatur. Aqua enim perlucida eſt, cerniturq; quemadmodum extrinſecus, ſic intus, non ſine lumine. Aliquid igitur oportet eſſe quod ſit perlucidũ, idq; aqua ſit

qua ſit neceſſe eſt, cum non ſit aer. Neque enim in extremo oculo animus ſitus eſt, nec animi locus & ſedes eſt: neq; uerò dubium eſt, quin intra nos ſit. Itaq; interior pars oculi & perlucida ſit, & uim eam habeat ut lumen recipiat, neceſſe eſt: idq́; perſpici licet ex ijs quæ uſuueniunt. Iā enim nonnullis qui in bello eiuſmodi uulnus acceperunt, ut uiæ & itinera oculorū exciſa ſint, tenebræ offundi uiſæ ſunt, quaſi lucerna extincta: quòd parte ea quæ perlucida eſt, et pupilla exciſa, quaſi ſplendor quidā ademptus eſſe uideretur. Ex quibus perſpicuū eſt, ſi in his rebus, hoc ut dicimus, contingit, unamquāq; ſenſuū ſedem & locū eodē modo uni elemento atribui adhiberiq́; oportere: ita tamē, ut ea pars oculorū qua cernimus, aquæ, aeris eam qua ſonorū uarietates percipimus, ignis naturā odoratū imitari exiſtimare debeamus. Quod enim reipſa odoratus eſt, id eſſe poteſt, quod eā uim habet ut olfacere poßit: quippe cū id quod ſenſū mouere poteſt, faciat ut ſenſus munus ſuū exequatur. Ita fit, ut ſenſum ipſum adeſſe neceße ſit, quod ui ſua naturæ ordine antiquius eſt. Odor aūt quædā eſt fumū imitās exhalatio. Atqui exhalatio quæ fumi ſpecie efflatur, igneæ naturæ eſt. Itaq; in loco q̄ cerebro uicinus eſt, ſenſus odoratus propriè ſitus eſt: quādoquidē frigidæ rei materies caloris uim habet, & oculorū origo eodē modo concluditur: quippe cū ex cerebro conſtet, quod humore & frigore reliquas corporis partes facile uincit. Ea aūt pars in qua ineſt tāgēdi principatus, terrena eſt: ea uerò qua guſtamus, quædā ſpecies tactus eſt: ob eamq́; cauſam uterq; & tangendi et guſtandi ſenſus, cordi adiunctus et annexus

 eſt.

eſt. Eſt enim cor cerebro contrarium, caloreq́; cæteras partes longè ac multum ſuperat. Ac de ijs quidem corporis partibus in quibus ſentiendi eſt fons & principium, ita dictum ſit.

Cap. 3. *De ijs autem quæ uniuſcuiuſque mouentia ſunt, ut de colore, ſono, odore, ſapore, & eo quod ſub tactum cadit, uniuerſè quidem in libris de Animo diximus: quodq́; eſſet eorum munus & officium, quid etiam eſſet fungi uniuſcuiuſque ſenſus munere. Quid autem quiduis eorum ſit, ueluti quid color, quid ſonus, quid odor, aut ſapor, & tactus, uidendum eſt. Ac primum de colore dicamus. Eorum quidem unumquodq; duobus modis dicitur, & reipſa, & ui ac poteſtate: quorum color et ſonus qui reipſa ſunt, quemadmodū uel idem ſint, uel à ſenſibus quæ in res ſibi obiectas intēti ſunt, ueluti aſpectu uel auditu, differant, aut non differant, in libris de Animo dictum eſt. Quid autem tum cum ipſa unumquodque eorum eſt, ſenſum opusq́; faciat, nunc explicemus. Diximus quidem illis in libris, lumen eſſe colorem rei perlucidæ quodam modo, et ui aliena: propterea quòd cum aliquid igneum eſt locatum in re perlucida, id quidem quod præſens eſt, luminis, priuatio autem tenebrarum nomine nuncupatur. Quod autem perlucidum dicimus, id nec aeris proprium, nec aquæ eſt, nec aliorum corporum, quæ ita uocantur: ſed communis eſt quædam natura & uis, quæ tametſi ſeparari non poteſt, tamen & cum his et cum alijs corporibus ita coniuncta eſt, ut in nonnullis maior, in alijs minor eius uis eſſe uideatur. Vt igitur cæterorum corporum, ſic etiā huius naturæ aliquid ſit*

extremum

extremum oportet. Ac luminis quidem natura non in certa re, quæ perlucida ſit, cohæret. Nec uerò cuiquam dubium eſt, quin extremum ſit quiddã rei perlucidæ, quæ cum corporibus cohæreat. Id autem *colorem eſſe, uſu rerum animaduerti licet: cum color omnis aut in extremo inſit, uel ſit extremitas.* Itaque *Pythagorei ſuperficiem colorem uocabant. Eſt enim in corporis extremitate, non quædam corporis extremitas: ſed eam naturam, quæ extrinſecus colorata eſt, etiam intrà eſſe exiſtimare debemus. Atque etiam aer & aqua colore prædita uidentur, propterea quòd ſplendor ſit eiuſmodi: ſed illic quia color eſt in re quæ in certo infirmoq́; termino conſtat, non eodem colore tincta cominus & accedentibus, quo eminus aer & mare uidentur.* In *corporibus autem, niſi id quod circũfuſum eſt, uarietatem mutationemq́; faciat, coloris etiam ſpecies terminatur.* Ex *quo perſpicuum eſt, idem & illic & hic coloris eſſe receptaculum.* Ita *res perlucida, quatenus cum corporibus copulatur, (copulatur autem & magis & minus) cum omnibus colorem communicat. Quoniam autem in extremitate color ineſſe ſolet, certè in hoc etiam extremo inſit neceſſe eſt.* Ergo *color erit, rei perlucidæ in corpore certo & terminato extremitas.* In *ipſis etiam rebus perlucidis, ut in aqua, & ſi quid aliud eſt eiuſdẽ generis, & in ijs quæ colorem proprium habere uidentur, æquè omnibus in extremo adhæreſcit. Ac fieri quidem poteſt, ut in re perlucida id inſit, quod etiam in aere lumen præſtat: fieri etiam poteſt ut non adſit, ſed abſit. Quod igitur illic partim lumen efficit, partim te-*

da a ſ nebræ,

nebræ, idē in corporib. cādor et nigror ualent. De aliorū aūt colorū generibus, iā diſtinctione adhibita, quot modis id fieri poßit, dicendum eſt. Fieri enim poteſt, ut etiā inter ſe ita candor & nigror cōponantur, ac miſceātur, ut neuter propter paruitatē ſub aſpectū cadat: is autē qui ex utroque temperatus concretusq́; ſit, ita denique cernatur. Is enim neque albus, neque niger eſſe ullo modo poteſt. Quoniam autem eum neceſſe eſt in colore aliquo eſſe, et in illorum neutro poteſt: profectò aliquis mixtus ac temperatus, & quoddam aliud coloris genus ſit neceſſe eſt. Atque hoc quidem modo plura eße colorum genera, præter album & nigrū, intelligi licet: quæ cum plura dico, proportione & comparatione intelligo. Tria enim cum duobus, et tria cum quatuor, & cū alijs numeris comparari poſſunt. Aliorum autem proportione quidem nullus poteſt: præſtantia uerò & languore, ſubmißioneq́; quæ non temperetur, poteſt. Atque hæc quidem eodem modo inter ſe affici debent, quo harmoniæ. Quemadmodum enim illic, ſic in numeris, ut quique optimè inter ſe conferri poſſunt, ita ſuauitate & delectatione maxima aſpectum mouere uidentur: ueluti purpureus & puniceus, et pauci quidā eiuſdē generis, quam ob cauſam perpaucæ ſunt harmoniæ. Reliqui autem colores in numeris eius generis non habentur: uel certè omnes colores in numeris ita habebuntur, ut alij certi, alij incerti ſint: atq; hi ipſi, cum non ſunt puri ac ſimplices, quod non in numeris ſint, tales exiſtant. Atq; hic quidem unus modus eſt originis colorū. Alter aūt eſt ob eam cauſam, quòd alij ex alijs emineāt atq; extent: id

quod

quod interdũ pictores faciunt, cum alium colorẽ in alium euidentiorẽ inijciunt, & inducunt. ueluti cum faciũt, ut aliquid in aqua uel in aere emineat atq; appareat, & cũ ſol per ſe quidẽ candidus eſt, in ſplendore autem & fumo puniceus. Atq; etiã hoc modo multa erunt colorum genera, non aliter ac ſuperiore ratione eſſe diximus; præſertim cum eorũ qui eminent, cũ ijs qui ſubiecti ſunt, quædã ſit comparatio ac proportio. Alij aũt nihil cõparando ualẽt. Illud igitur abſurdũ eſt dicere, id quod ueteres, colores eſſe fluxiones, eosq; ob eam cauſam uideri. Neceſſe enim erit eis per tactum, rerũ omniũ ſenſum facere. Ita fit, ut melius ſit ita exiſtimare, ſenſum fieri ob eam cauſam quòd res quæ interiecta eſt, à reb. ſub ſenſum cadentib. moueatur, q̃ tactu & fluxionibus. Ac in ijs quidẽ quæ inter ſe mixta ſunt, neceſſe eſt quemadmodũ magnitudinem deſignari quæ aſpectum fugiat: ſic etiã tempus quod ſub ſenſum nõ cadat, ut et motus q ſuboriũtur lateãt: & unũ quod ſimul appareãt, eſſe uideãtur. Hic autẽ nõ eſt neceſſe, ſed color qui eminet cum ſit immobilis, moueaturq; ab eo qui ſubiectus eſt, non ſimilẽ motum efficiet. Itaq; alius uidetur, atq; diuerſus, nec albus nec niger. Ita ſi nulla magnitudo ſenſum oculorũ effugere poteſt, ſed omnis ex certo interuallo cernitur, quænã hæc erit colorũ permixtio? Illo etiam modo nihil prohibet cõmune quoddã coloris genus ijs qui procul abſint, uideri. Nullã enim magnitudinẽ eſſe, quæ nõ cerni poßit, pòſt uidebimus. Quòd ſi eſt tẽperatio et permixtio quædã corporũ, nõ eo ſolũ modo, quẽ nõnulli fingũt, cũ minima inter ſe illa quidẽ cõponuntur, non

tamen

tamen à nobis ſenſu uidentur, ſed planè omni ex parte : quemadmodum uniuerſe de omnibus in libro quo de Permixtione diſputauimus, dictũ eſt. Nam cum illo quidem modo ea demum inter ſe temperantur, quæ in minimas partes diuidi poſſunt : in quo ſunt genere homines, equi, & ſemina, (hominum enim homo eſt minimus, & equorum equus) fit ut horũ inter ſe compoſitione ſimul utrorumq; multitudo permiſceatur. Vnum autem hominem cum uno equo mixtum eſſe non dicimus. Quæ autem in minimam quamque partem non diuiduntur, eorum hoc quidem modo permixtio fieri non poteſt: ſed ijs omni ex parte permiſcendis, quæ maximè miſceri inter ſe ſolent. Quod quemadmodum fieri queat, antea cùm de permixtione diſſereremus, diximus. Sed illud perſpicuũ eſt, cur neceſſe ſit, cum aliqua miſcentur, colores etiam temperari atque confundi: hoc etiam intelligi licet, hanc ipſam cauſam in hoc dominari, cur multi uarijq; ſint colores, non ipſam eminentiam hoc facere, nec illorum inter ſe compoſitionem : præſertim cum non ita uſuueniat, ut procul & eminus, non propè & cominus unius coloris ſpecies aſpectui obijciatur eorum quæ mixta ſunt, ſed omni ex parte id fiat. Multi autem colores erunt, propterea quòd ea quæ miſcẽtur, multis rationibus inter ſe ita miſceri temperariq; poſſunt, ut quædam habita numerorũ ratione, alia propter præſtantiam ſolum, aliaq; eo modo quẽ in coloribus qui inter ſe componuntur, uel in eminentia dicere poſſumus. Ac de ijs quidem quæ inter ſe miſcentur, in alijs quoque libris diſputatum eſt. Cur autem colorum, ſaporum,

porum, et ſonorũ certa ſint genera, non infinita, pòſt dicemus. Quid ergo color ſit, & cur multa ſint colorum genera, diximus. De ſono etiam & uoce antè in libris de Animo dictum eſt.

Nunc ſequitur, ut de odore & ſapore diſſeramus. Eadem enim utrunque ferè affectio eſt, ſed non in ijſdem uerſatur. Euidentius autem nobis eſt ſaporum genus, quàm odorum: propterea quòd & hic ſenſus nobis præ cæteris animantibus imbecilior datus eſt, omniumq́; eorum quibus præditi ſumus, eſt infirmiſsimus: & tactu cætera animantium genera uincimus, cum eius ſit pars quædam ſapor. Et aquæ quidem natura ſaporis omnis expers eſſe uult, ſed neceſſe eſt uel in ſe aquam ſaporũ ſuccorumq́; genera ſine ſenſu propter paruitatem continere, ut Empedocli placet: uel certè materiam quandam inſitam habere, quæ ſit quaſi commune ſaporum ſeminariũ. Illud etiam, ex aqua omnia, ſed alia ex alia parte oriri: aut ſi nullam aqua diſtinctionem differentiamq́; habeat, in eo quod efficiat, cauſam ſubeſſe: ut ſiquis calorem, aut ſolem horum cauſam eſſe dicat, in qua eſt ſententia Empedocles, id tam perſpicuè falſum eſt, ut oculis conſpici poſsit. Sapores enim à calore mutari cernimus, cum fructus decerpti & ſoli exponuntur, & igni coquuntur. quod ſatis argumenti eſt, eos non ab aqua ſuccum talem trahere, ſed in ipſo fructu mutari, & ita progreſſu temporis matureſcere, ut ex dulcibus acerbi, amariq́; euadant, concoctiq́; in omnia ſaporum genera uertantur. Itemq́; fieri non poteſt, ut aqua ſit materies, quaſi commune ſaporum ſeminarium. Ex eodem enim, exempli Cap. 4.

gratia,

gratia, cibo & paſtu diuerſos ſapores effici uidemus. Relinqtur ergo, ſapores mutari ex eo, quòd in aqua quædam affectio conſequatur. Illud igitur perſpicuũ eſt, uim eam quam ſaporem appellemus, non à ui tantum caloris accipi. Aqua enim cùm omnium humorũ tenuiſsimus eſt, tum oleum etiam tenuitate uincit. ſed quoniã oleum, propterea quod uiſcoſum eſt, maiorẽ locũ quàm aqua occupat, latiusq; funditur: & aqua fugacior eſt, fit ut difficilius ſit aquam in manu quàm oleum tenere. Quoniamq; aqua ſola cum efferueſcit, minimè dẽſior efficitur: profectò alia ſit cauſa neceſſe eſt, præſertim cum ſapores omnes concretionis magis participes ſint, et calor in ea re adiumentũ afferat. Sapores uerò qui in fructibus reperiuntur, iidem etiã in terrã conueniũt. Itaq; multi eorũ qui de natura quondã diſſeruerunt, aquam talẽ, qualis ſit terra per quam effluat, eſſe poſuerunt: idq; in aquis ſalſis maximè animaduerti licet. Sal enim quoddã terræ genus eſt. Quocirca aquæ quæ per cinerẽ, qui amarus eſt, funditur, ſapore amaro eas res afficiũt, quib. adhibẽtur. itẽq; eæ quæ per alia colãtur. Suntq; fontes alij amari, nõnulli acres, ſunt etiam qui uarios ſapores & ſuccos retinẽt. Itaq; rectè in iis quæ terra ex ſe fundit, ſaporũ genus exiſtit maximè. Nam cum humor, ut etiã alia, à contrario aliquid accipiat, & quaſi patiatur, et ſiccitas eius ſit contrariũ: fit, ut ab igne q quidẽ aridus eſt natura ſua, aliquid patiatur & accipiat. Sed ignis calor proprius eſt: terræ aũt, quemadmodum cum de Elementis diſputaremus, dictũ eſt, ſiccitas. Quia igitur ignis & terra ſit, nihil facere aut pati ſolent, nec

quicquam

quicquã aliud, ſed quatenus in eis quædã repugnantia ineſt, eatenus & faciunt et patiũtur omnia. Vt igitur ij qui colores & ſapores aquis diluunt, tali colore ac ſapore aquã inficiunt: ſic natura arida & terrena, cũ per aridã aliam rem terreſtremq́; delabitur & impel litur, calore humorẽ quodãmodo afficit. Eſtq́; ſapor ea affectio, quæ à ſiccitate, quã dixi, in humore guſtatus gignitur, quæ uim eam habet ut reipſa cõmutare poßit. Quod enim ſentiendi uim habet, id ab illa affectione quæ in eo ineſſe ante poteſt, eò deducitur: præſertim cũ illud ipſum ſentire, nõ ex habitu, ſed ex uſu et actione ſpectetur. Sapores autẽ non cuiuſuis humoris, ſed eius q alẽdi uim habeat, affectionẽ eſſe, aut priuationẽ, hinc intelligi licet: quòd nec ſiccitas ſine humore, nec humor ſine ſiccitate cõſtare ullo modo poteſt. Nihil enim eorũ per ſe animantibus cibus eſt, ſed quod ex his permixtũ concretumq́; eſt: ſuntq́; eorum quæ ad animantiũ uictum adhibentur, ea quidẽ quæ cum mouentia ſenſus ſint, ſub tactũ cadunt, efficiẽtes cauſæ & acceßionis & abſceßionis. Horũ enim cauſa eſt id quod adhibetur, qua ex parte caloris et frigoris eſt particeps. faciũt enim hæc ipſa, ut animalia creſcãt, et ſeneſcãt. Alit aũt id quod adhibetur, quatenus guſtatũ mouere poteſt: propterea quòd dulci ſapore uel omnino, uel alio adiũcto & permixto, alũtur omnia. Ac de ijs qdẽ in libris de Ortu diſſerendũ erit accuratius: nunc uerò quantũ neceſſe eſt, ea attingẽda ſunt. Calor quidẽ auget cõficitq́; cibũ, atq; id quod leuitate præſtat, ad ſe trahit & allicit. Id autẽ quod ſalſum & amarũ eſt, propter grauitatẽ reſpuit. Quodq́;

corporibus

corporibus externis calor qui extrinſecus adhibetur, facit: idem in natura animantium et eorum quæ terra eduntur, præſtat. Itaq; dulci ſucco aluntur. Adhibentur autem cæteri ſapores eodem modo in uictu, adiuncto ſalſo & acri ſucco propter uoluptatem, quæ ipſa admiſcētur propter repugnantiā, quòd dulcedo præter modum alat, emineatq; in ſummo. Quemadmodū autem colores ex albi nigriq; temperatione exiſtunt, ſic ex dulci & amaro ſapores. Ac ſinguli quidem pro maioris & minoris portione naſcuntur, ſiue certum quendam in his numerū permiſcendo, ſiue incertum ſequamur. Qui autem miſcendo uoluptatem ſequuntur, ij certum ſibi numerum tantum proponunt. Ac pinguis quidem, ſaporis dulcis eſt genus quoddam: ſalſus autem & amarus ferè idem efficiunt. Acer uerò, auſterus, acidus & acutus, his interiecti ſunt. ferè enim totidem ſunt ſaporum genera, quot colorum. Septem enim genera utraque ex parte cōſtitui poſſunt, ut rectè fuſcum, nigrum quendam colorem eſſe dicamus. Ita relinquitur, rutilum albi genus eſſe, ut pinguem ſaporē dulcedinis. Phœniceus aūt; purpureus, praſinus, & cæruleus, medium locum inter album nigrumq; obtinent, Alij uerò ex his mixti temperatiq; ſunt. Atque ut nigror in re perlucida candoris, ſic ſalſus & amarus ſapor dulcedinis in cibo humido priuatio eſt. Itaq; eorum omnium quæ exuruntur, cinis amarulētus eſt, propterea quòd ex eis euanuit id quod potioni aptum erat. Democritus uerò, ijq; omnes ferè phyſici qui de ſenſu diſſerūt, abſurdiſsimum quiddam faciunt. Omnia enim quæ ſenſus mouentia ſunt

ſub,

ſub ſenſum cadere aſſeuerant. Quod ſi ita eſſet, profectò unuſquiſque alius ſenſus tactus quidam eſſet. Quod fieri non poſſe, facilè intelligi poteſt. Præterea ijs omnibus quæ omniũ ſenſuum cõmunia ſunt, ut proprijs utuntur. Magnitudo enim, figura, aſperitas, & leuitas, præterea quæ ſunt acuta & retuſa in magnitudinibus, ea ſenſuum ſunt: ſi minus omniũ, at certè aſpectus & tactus communia. Itaq; cum de his aliquid tradunt, errant: cum de proprijs, non errant. ut cum aſpectum dicunt in colore, & auditum in ſonis uerſari. Sunt qui ea quæ propriè ſenſibus obijciuntur, ad hæc referant, ut Democritus. *Is enim candorem & atrorem, hunc aſperitatem, illum leuitatem eſſe dicit. Succos uerò & ſapores ad figuras refert. Atqui uel nullius ſenſus, uel certè aſpectus eſt, communia internoſcere. Quòd ſi fortè guſtatus eſt potius, certè hoc intelligendũ eſt eius eſſe ſenſus, cuius acerrimum ſit iudicium, ea quæ in quoq; genere minima ſint, internoſcere. Ita fit, ut guſtatum oporteat & aliorum quæ communia ſint, ſenſum habere, & in figuris plurimum ualere iudicando. Præterea cũ ea omnia quæ ſub ſenſum cadunt, inter ſe contraria ſint, ut in colore cãdor nigrori cõtrarius eſt, & in ſuccis ac ſaporibus dulcis amaro: tamen figura figuræ contraria non uidetur. Cui enim earum figurarum quæ multis angulis conſtant, ea quæ rotunda eſt, contraria ſit? Iam cum figurarum incertus infinitusq; ſit numerus, ſaporum etiam infinitus ſit neceſſe eſt. Cur enim aliquis ſapor ſenſum afficiet, alius non afficiet? Ac de ſapore & re quæ guſtatum mo-*

uet, dictum ſit. Aliæ enim ſaporum affectiones in ea parte phyſicæ quæ de rebus quas terra fundit, diſputat, propriam habent diſputationem.

Cap. 5. Eodem autem modo de odoribus etiam iudicandum eſt. Quod enim in humore ſiccitas facit, hoc in alio genere humor is qui ſucco præditus eſt efficit, in aere & aqua eodem modo. In quibus nunc quidem id quod perlucidum eſt, commune dicimus. Sed ſub odoratus ſenſum cadit id quod perlucidum eſt, non quia perlucidum eſt, ſed quia cum plenum ſit ſiccitatis, quæ ſucco prædita ſit, eam efflat. Neque enim in aere modò, uerùm etiam in aqua odoratus uerſatur: id'que in piſcibus & ijs quæ teſta obducta ſunt animaduerti licet. Olfaciunt enim, cum nec aer in aqua ullus ſit, (eminet enim aer, cum ineſt) nec ipſi piſces reſpirent. Quod ſi quis & aera & aquam humida eſſe ponat, profectò & ea natura quæ in humore eius rei quæ ſicca ſit ineſt, odor ſit, & odoratum moueat id quod tale ſit, neceſſe eſt. Affectionem autem eam à re quæ ſaporem habeat proficiſci, ex ijs quæ odore prædita ſunt, & quæ non ſunt, intelligi poteſt. Elementa enim, ut ignis, ut aer, ut aqua, ut terra, odore carent, propterea quòd ea quæ arida ſunt & humida, ſaporis nullius ſint, niſi quid admixtum efficiat. Itaque mare, quoniam ſapore & ariditate præditum eſt, odorem habet: & ſal magis odore præditum eſt, quàm nitrũ, quod oleum id quod ex eis elicitur, indicat. nitrum autem terræ magis naturam imitatur. Præterea lapides, quoniam ſaporis nullius ſunt, odoratus ſenſum non afficiunt: ligna

gna autem cum ſaporem habeant, odorem efflant: atque eorum ea minorem, quæ aquæ copia abundant: præterea eorum quæ eliciuntur è terra, aurum quidem, quoniam omni ſapore caret, nullius eſt odoris particeps: æs autem, & ferrum, odore ſunt prædita. Cum uerò igne humor conſumitur, omnium feces minus redolent. Argentum, porrò & ſtannum quoniã humida ſunt, alia odore uincunt, ab alijs ipſa ſuperantur. Videtúrque nonnullis, exhalatio quædam fumi ſpecie odor eſſe, qui ſit terræ aeris´que commũnis. Atque omnes cum de odore diſſerunt, ita ſentiunt. Itaque Heraclitus in ea fuit ſententia, ut omnia quæ in natura rerum ſunt, ſi fumi natura continerentur, à naribus internoſci poſſe diceret. Omnes autem cum de odore dicunt, ita ſentiunt, ut alij uaporem, alij expirationem, quidam utrunq; eſſe ponant. quorum uapor humor quidam eſt: expiratio fumi ſpeciem gerens, quemadmodum dixi, aeris & terræ communis eſt. Et ex illo aqua conglobatur & cogitur: ex hac quoddam terræ genus. Sed fieri non poteſt, ut odor horum alterutrum ſit: cum præſertim uapor humidus ſit, & exhalatio fumi ſpeciem præbens in aqua non poßit exiſtere: & odoratui, ut antè dictũ eſt, in aqua locus relinquatur. præterea cum exhalatio eodem modo quo fluxiones, dicatur: profectò ſi nec illa rectè, ne hæc quidem rectè dicitur. Ac illud quidem non eſt dubium, quin humor & is qui in aere, & is qui in aqua ſit, elui poßit: & quodã modo affici ab ea ſiccitate, quæ ſapore ſit prædita. Aer enim humidus eſt natura ſua. Iam uerò ſi idem

facit in rebus humidis & in aere, ea quæ eluitur ſiccitas, certè quædam inter odores ac ſapores ſimilitudo & comparatio ſit neceſſe eſt. Quod tamen nonnullis contigit. Nam *& acres & dulces ſunt odores, & auſteri, & acidi, & pingues, & acutis putres ac carioſi quadam ſimilitudine reſpondere dici poſſunt.* Itaque *quemadmodum illi guſtatui, cum capiuntur, dolorem ſua aſperitate afferunt: ſic carioſa omnia odore tetro ſenſum afficere ſolent.* Ex quo *perſpicuum eſt, quod in aqua ſapor eſt, id in aere & aqua odorem eſſe: ob eámque cauſam frigus & congelatio tum ſapores labefactant, tum odores. præſertim cum calorem, qui eſt cauſa efficiens, & auctor, frigus geluq; deleat. Genera autem eorum quæ odoratus ſenſum mouent, duo ſunt.* Neque *enim, ut aiunt quidam, genera non ſunt eorum quæ ſub odoratum cadunt, ſed ſunt.* Explanandum *autē eſt & quatenus ſunt, & quatenus non ſunt.* Eorum *enim genus pro ſaporum uarietate, quemadmodum dixi, definitum eſt, uoluptatem que ſapores, ac dolorem aliunde afferunt. Quoniam enim eius partis animi quæ alendi uim habet, ſapor affectio eſt, deſiderantibus quidem ſaporum odores delectationem afferunt: ſatiatis autem, & nihil eos requirentibus, non item, ne odores quidem omnino: & cibi qui odoribus conditi ſunt, hos tales homines ſuauitate ſua non mouent. Ita hi quidem, iam ut dixi, non per ſe, ſed aliunde ſuauitate, aut aſperitate, ſenſum mouent,* Itaque *communes ſunt animantium omnium.*

um. Qui autem per ſe ac ui ſua uoluptate afficiunt, odorum ſunt, ut ij qui efflantur è floribus. Neq; enim *magis, neque minus ad cibum inuitant, nec ciborum appetitum famemq; adiuuant, ſed contrà potius eam impediunt. Verum enim eſt id quod in* Euripidem *ſalſe dixit Stratis:*

Cum lens decoquitur, unguenti nil infundito.

Qui autem his cibos condiunt, conſuetudine uoluptati uim afferunt, quoad uoluptas quaſi una & ab uno ſenſu profecta, ex duobus ſenſibus oriatur. Atq; hoc quidem genus eorum quæ olfaciendi ſenſum mouent, hominis eſt proprium. Quòd autem ex ſaporum uarietate ductum eſt, id alia etiam animantia, ut antè diximus, attingit. Et illorum quidem genera, quoniam ſenſum non per ſe ſuauitate mouent, pro ſuccorum ſaporumq; uarietate diſtincta ſunt: horũ non item, propterea quòd eorum natura per ſe uoluptatem pariat, aut dolorem. Cur autem hic odor uoluptatem propriè homini afferat, cerebri frigus cauſa eſt. Nam cum frigidum ſit cerebrum natura ſua, isq; ſanguis qui ipſum continet, in minutis uenis inſit, tenuis ille quidem & purus, ſed frigoris incommodis opportunus: fit ut ciborum halitus in eo loco refrigeratus, morbos, qui rheumata dicuntur, pariat. Atq; hoc quidem genus odorum ad ualetudinis præſidium hominum generi datum eſt. neque enim aliud eius munus & opus eſt, idq; perſpicuè exequitur. Nam cum cibus & aridus & humidus, qui uoluptate ſenſus mouet, ſæpe morborũ cauſas afferat is tamen qui propter odorem, qui ui naturaq; ſua

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſuauis eſt, iucunditatē habet, utilitatē ſemper hominibus utcunq; ſe habeant, afferre ſolet. Ob eamq́; cau *ſam reſpiratione ſenſus eius oritur non omnibus, ſed hominibus, & corū quæ ſanguinem habent, quadrupedibus, ijs´que omnibus quæ aeris natura magis utuntur.* Nam *cum ad cerebrum odores leuitate caloris qui in eis ineſt, feruntur, tum magis ualent eæ partes quæ eo loco continentur, præſertim cum odor ſuapte natura uim caloris habeat.* Natura *autem reſpirationis uſum duabus de cauſis adhibuit, & id quod illius opus eſt, ad pectoris præſidium: & quod præter opus illius eſt, ad odorem. Cum enim reſpiratur, quaſi tranſitu quodam per nares motum affert.* Proprium *eſt autem hominis naturæ hoc genus odoris, propterea quòd ei cerebrum datum eſt, quod humoris & frigoris copia pro portione cæterorum animantium ſuperat.* Ob *eam enim cauſam ſolus homo ex animantibus ſenſum habet, uoluptatemq́; percipit odorum, qui è floribus alijs´que eiuſdem generis efflantur.* Temperatus *eſt enim eorum & calor & motus, pro portione humoris ac frigoris, quorum pars illa copia abundat.* Alijs *autem animantibus, quæ pulmonem habent, quoniam reſpirant, alterius generis odoris ſenſum natura dedit, ut ne duas ſenſus ſedes faceret. quemadmodū enim homines utriuſq; eorum quæ odoratū mouent: ſic hæc quoniam reſpirant, alterius tantum ſenſu contenta ſunt.* Quæ *autem non reſpirant, ea non eſt dubium quin ſenſum habeant eorum quæ narium ſenſum mouent.* Nam *& piſces, & omne genus eorum animantium*

mantium quæ inciſuris conſtant, acriter ac longè propter genus odoris, quod ad uictum pertinet, tum cum procul à ſuo proprioq; odore abſunt, odorem ſenſu percipiunt: ut apes mellis odorem ſentiunt, & longarum formicarũ genus, quas nonnulli culices uocant, & purpuræ marinæ: multaq; animalia eiuſdem generis, odoris ſenſu citò ad paſtum proficiſcuntur. Sed quo ſentiant, non ita perſpicuũ eſt. Itaque quæri poteſt, quare odoris ſenſum habeant, ſi modò in ijs quæ reſpirãt, odoris ſenſus uno modo reperiatur. hoc enim in ijs omnibus quæ reſpirant, uidetur contingere. Illorum enim nullum reſpirat, quanquã ſenſum habent odoris, niſi quidam alius ſenſus præter quinq; eſſe ponatur: quod fieri nõ poteſt, quippe cũ odoratus in re quæ odoratum mouet, uerſetur. Illaq; odoris ſenſum habent, non tamen eodem fortaßis modo, ſed ijs quæ reſpirant, ſpiritus cum ducitur, id quod tegit quaſi quoddam operculum, adimit: ob eam'que cauſam nihil olfaciunt, niſi reſpirent. Iis autem, quibus reſpirandi non eſt datum beneficium, hoc ipſum negatum eſt: quemadmodum oculis contingit, in quibus quædam animalia palpebras habẽt, quæ niſi aperiantur, cernere non poſſunt: alia autem ijs carent, ea quæ oculos corneolos habent. Itaque nihil requirunt, quod oculos aperiat, ſed cernunt cum primùm eis deſpiciendi facultas conceſſa eſt. Eodem'que modo alia animantia omnia eorum quæ tetri odoris ſunt, odore nihil offenduntur: niſi fortè uim interimendi habeat. Ab ijs aũt quæ eam uim habent, non ſecus offenduntur, atq; hominibus caput

carbonũ uapore obtunditur, & læditur ſæpenumero. Sic ſulphuris ui, & aliarum rerum eiuſdem generis, interimuntur alia animalia, eaq; fugiunt propter malum quod afferunt. Tetrum autem odorem per ſe negligunt. Quanquam multa eorum quæ gignuntur è terra, tetri odoris ſunt, niſi ad eorũ paſtum pertineant. Senſuſq; olfaciendi, cum impar ſit ſenſuum numerus, & impar numerus medio quodam conſtet, uidetur & inter eos qui tactu munere ſuo funguntur, ut inter tactum & guſtatum, & inter eos qui alia interiecta re munus ſuum exequũtur, cuiuſmodi ſunt aſpectus, & auditus, medium locum obtinere. Itaque id quod odoratum mouet, quædam eſt eorum quæ ad uictum pertinent, affectio. Hæc autem in eodem genere ſunt, quo ea quæ ſub auditum & aſpectum cadunt. Itaq; & in aere, & in aqua, odoris ſenſus percipitur. Ita fit, ut ea quæ odoratum mouent, quiddam commune cum utroq; horum habeant: quod etiam & in ea quæ tactu, & in ea quæ auditione percipiuntur, & in res perlucidas cadit. Quocirca rectè traditum eſt, id quod odoratui ſubiectũ ſit, quaſi quandam ſiccitatis in humore & re fluitante eſſe confuſionem & colluuionem. Quo igitur modo dicenda ſint, quóq; modo dicenda non ſint eorum genera quæ odoratum mouent, hactenus dictum ſit. Quod autem nonnulli Pythagorei tradunt, nonnulla eſſe animalia, quæ odore uictitent, id non eſt conſentaneum. Primum enim cibum concretum eſſe oportere cernimus: præſertim cum ea quæ nobis ad uictum ſuppeditant, ſimplicia non ſint. Itaque cibi

cibi reliquiæ uel in nobis ipſis, uel extra nos, ut in ijs quæ oriũtur è terra, eueniũt. Deinde ne aqua qui*dem ipſa ſola, niſi ſit admixta, alendi uim habet. Corporeum enim quiddam ſit oportet: id quod coagmentari & cogi debeat: præterea multo minus conſentaneum eſt, aera in corpus cogi atq; coaleſcere. Quod etiam hinc ſciri licet, quia omnibus animantibus locus cibis recipiendis datus eſt, ex quo trahendo corpus accipiant.* Eorum autem *quæ odoratum mouẽt, cum in capite locus & ſedes ſit, eóque cum uapore ſpiritus naturam imitante introeat, fit, ut ad locum reſpirationis ire debeat.* Ac illud *quidem perſpicuum eſt, ea quæ odoratui ſubiecta ſint, ipſa per ſe qua ex parte odoratũ moueant, nihil ad cibum uictumq; pertinere.* Ad ualetudinem autem *eadem conducere, & ex ſenſu perſpici poteſt, & ex ijs quæ dicta ſunt.* Itaq; *quam uim habet ſuccus in eo quo ueſcimur, ad ea quæ aluntur: eandem etiam id quod odoratum mouet, ad ualetudinem obtinet.* Ac *ſigillatim quidem de unoquoq; ſenſu dictum ſit hoc modo.*

Quæri aũt hoc loco licet, ſi omne corpus infinitè ſecari poteſt, an ea etiam quæ rebus ſenſum mouentibus cõueniunt, ut color, ſapor, odor, ſonus, grauitas, frigus, calor, leuitas, durities, & mollities, poßint, nec ne? Eſt enim unumquodque eorum ſenſus efficiens, præſertim cum ex eo omnia dicantur, quòd ſenſum mouere poßint. Ita *neceſſe eſt, ſi uis ipſa, etiam ſenſum infinitè diuidi, & omnem magnitudinem cadere ſub ſenſum.* Fieri *enim non poteſt, ut candor cernatur, quin magnitudo quoq; uideatur.* Si *enim* Cap. 6.

ita non eſt, corpus aliquod eſſe poterit, quod nec colorem habeat, nec grauitatem, neq; ullam aliam talem affectionem. Ita ne ſub ſenſum quidem cadet omnino: quippe cum talia ſint ea quæ ſub ſenſum cadũt. Quod ergo ſenſum mouet, concretũ erit ex ijs quæ ſenſui non ſubijciuntur. Atqui neceſſe eſt, neque enim ex mathematicis rebus conſtare ullo modo poteſt. præterea quo tandem hæc ipſa iudicabimus & cognoſcemus? An mente? At non animo & ratione cernuntur ea quæ extra ſunt: nec ea mens intelligit, niſi cum ſenſu coniuncta ſint, ſenſusq; adhibeatur. Quæ ſi ita ſunt, ijs qui magnitudines indiuiduas faciunt, aſſentiri uidentur. Sic enim ratio explicabitur. Sed fieri non poteſt. De his autem in libris de motu dictum eſt. De eorum autem explicatione ut dicamus, hoc etiam ſimul perſpicuum erit, quamobrem certo numero concluſa & terminata ſunt genera colorum, ſaporum, ſonorum, aliarumq́; rerum quæ ſenſum mouent. Quorum enim extrema ſunt, eorum intimæ partes finitæ ſint neceſſe eſt. Extrema autem ſunt contraria, & omnia quæ ſenſu comprehenduntur, repugnantes res complectuntur: ut in colore albus & niger eſt, in ſaporibus dulcis & amarus, atq; etiam in cæteris omnibus contraria extrema uerſantur. Ac cohærens quidem & continuata natura infinitè in partes inæquales ſecatur: in pares autem, certo numero comprehenſas. Quod autem per ſe non cohæret & continuatur, in certa genera diuiditur. Quoniam igitur affectiones proprietatesq́; in generibus numerãdæ ſunt, eſt que in his ſempiterna

quædam

quædam cõſequentia & continuatio, profectò illud intelligendum eſt, aliud eſſe diuidi poſſe, aliud reipſa diuidi. Ob eam'que cauſam fugit aciem oculorum milleſima pars milij, cum cernitur, etſi aſpectus intendatur: ſonusq; is qui in dieſi eſt auditum fugit, & quanquam ipſe totum cantum & continuum exaudit, tamen interuallum quod interiectũ eſt inter extremos, non percipit. Quod de aliorum quæ ſenſum mouent, minima quaque parte iudicandum eſt eodẽ modo. Eæ enim partes eam uim habent, ut cerni poſſint: re autem ipſa tum denique cernuntur, cum ſecretæ ſeparatæq; ſunt. Etenim pedalem lineam bipedalis ui ſua in ſe continet, quæ eadem reipſa eſt, iam adhibita diuiſione. Separatæ autem tantillæ præſtãtiæ rectè in ea quæ eas continent, diuiduntur, non aliter ac ſi ſuccus exiguus in mare infuſus ſit. Sed quoniam id ſenſum fugit, nõ per ſe ſenſum mouet, ne ſi ſeparetur quidem, (præſtãtiam enim ſemper ui ſua in ſe cõtinet id quod ſubtilius eſt) fit ut hoc tale quod ſenſui ſubiectum eſt, ne cum ſeparatum quidem erit, reipſa cerni poßit, cum interim ſub ſenſum cadat. Cum enim eam uim habet, ut iam ſenſu percipi poſſit, reipſa percipietur, ſi coniunctum fuerit ei unde diſtractum fuerat. Ac illud quidem docuimus, eſſe magnitudines affectionesq; quaſdam, quæ ſenſus fugiant, & cur ita fiat, & quatenus ſenſu percipiantur, & quatenus nõ percipiantur. Cum aũt in aliqua re inſunt tam magnæ partes, ut etiã reipſa ſentiãtur, nec ſolum in toto, ſed etiam ſeparatim qua ex parte finitæ ſunt, neceſſe eſt numero concludi & colores,

& ſa-

& ſapores, & ſonos. Quæret autem aliquis, an ea quæ ſenſus mouentia ſunt, & motus ij qui ab ijs quæ ſenſibus ſubijciuntur, gignuntur, quocunq; tandem loco ſenſus ſint, cum munere ſuo funguntur, ad medium primùm perueniant, id quod odor & ſonus facere uidētur. Nā et is qui propior eſt, prior etiam odoris ſenſum percipit, & ſonus ad auditū poſt pulſum peruenit. Quæri ergo poteſt, ita'ne res habeat in ijs quæ ſub aſpectum cadunt, & in lumine? Quemadmodū etiam Empedocles *ait prius lumen id quod ſol effundit, ad medium, quàm ad oculos & terram peruenire. quod quidem non iniuria euenire uideatur. Nam cū id quod motu cietur, ex aliquo in aliud moueatur, fit ut tempus ſit aliquid, in quo illud ex alio in aliud incidat. Cumq́; tempus omne diuidatur, erat cum radius nondum cerneretur, ſed in medio aere ferretur. Quod ſi omnia audiunt pariter & audierunt, ſimul etiam ſenſum habent & habuerunt: neq; eſt ulla eorum origo & generatio, ſed eam naturam habent, ut neq; fiant, neque generentur. Id quod in ſono etiam animaduerti licet, qui pulſa iam re, nōdum aures pulſat & ferit: & in harum uerborum que pronunciatione, quaſi quidam motus in medio oriatur. Neque enim id quod prolatum eſt, exaudire uidemur, propterea quòd aer cum rapitur, in aliam formam ſe uertat. An igitur ita res habet in colore & lumine? Neq; enim ex eo quòd quodam modo affecta ſunt, hoc cernit, illud cernitur, quaſi æqualia ſint. Non enim alicubi utrunq; eſſe oporteret; quippe cum in ijs quæ æqua & paria ſunt, nihil referat,*

referat, ſint'ne propinqua inter ſe, an remota. Aut certè cōſentaneum eſt, hoc ipſum in ſonis & odoribus contingere. Habent enim ſicut aer & aqua cohærentem naturam, ſed tamen utriuſq; eorum motus partibus conſtant. Itaque ut eandem partem & primus & ſecundus exaudiat & odorem percipiat: fieri etiam poteſt, ut neuter exaudiat ac ſentiat. Quāquam hæc etiam nonnullis dubitationem afferunt. Negant enim fieri poſſe quidam, ut alius alio idem audiat, cernat & ſentiat. Non enim multos & remotos inter ſe audire ac olfacere poſſe. Vnum enim ipſum à ſe diſtractū, alienumq; eſſet: uel certè eam rem quæ prima ſenſum mouet, ut cotoneum & thus, & ignem, eandem unamq; numero, omnes ſenſu percipiunt: ſed cum iam propria eſt, eam aliam numero, ſpeciei autem eiuſdem ſentiunt. Itaq; multi ſimul & cernunt, & olfaciunt, & audiunt. Sed hæc ipſa nec corpora ſunt, uerùm affectiones quædam, & motus, (neq; enim hoc eueniret) nec uacant corpore. Nam luminis alia ratio eſt. Lumen enim quædam natura eſt, & ſubſtantia, non motus quidam. Nec uerò eadē ratio commutationis eſt, & loci mutationis. Loci enim mutationes rectè non in medium primò perueniunt: & ſonus, motus quidam uidetur eſſe rei alicuius, quæ deferatur. Quæ autem cōmutantur, non iam ita habent: fieri enim poteſt, ut totum commutetur, non dimidia pars primò, ut aqua ſimul congelatur. Quanquam ſi qua res magna concalefacienda eſt, & cogenda, ea pars quæ propinqua erit, à propinqua affici ſolet: & à re quæ uim habet commutandi.

tandi, primùm mutatur, nec neceſſe eſt ſimulac totam immutari. Atq; etiam ſapores eandem uim habe rent hac in parte, ſi in humore uerſaremur, quam odores, quos eminus antè etiam quàm tangamus, ſentire ſolemus. Nec *ſine cauſa ij ſenſus non continuò afficiuntur, quibus ſentiendi ſedes interiecta eſt, præterquam à lumine, propter eam cauſam quam at tuli.* Quod *eodem modo de aſpectu iudicandum eſt, quandoquidem lumen cauſa eſt cur cernamus.*

Cap. 7. Exiſtit *etiam quædam talis quæſtio de ſenſibus, utrum duæ res ſimul eodem, eo que indiuiduo tempore ſenſu percipi, nec ne poßint.* Maior *quidē motus ac uehementior, minorē obſcurat et obruit.* Itaq; *ſi quid oculis obijciatur, id percipere & ſentire non ſolemus, quoties acriter animum in aliquam rem intendimus, uel pertimeſcimus, uel magnum ſonum exaudimus.* Idq; *poſitum ſit.* Illud *etiam, nos uniuſcuiuſq; rei cum ſimplex eſt, facilius ſenſu affici, quàm cum permixta & concreta eſt: ueluti uinum merum, quàm dilutum, & mel, atq; color facilius ſenſus noſtros afficiunt: itemq; nete ſola, quàm cum eſt in modo qui diapaſon nuncupatur, propterea quòd aliud ab alio obruitur.* Hoc *autem ea faciunt, ex quibus unum aliquid efficitur.* Si *igitur maior motus minorem obſcurat, eundem neceſſe eſt, ſi con iuncti ſint, minus quàm ſi ſolus eſſet, ſenſum mouere & afficere.* Vis *enim aliqua minori motui detrahitur, cum permixtus eſt cum altero, ſi modò ſimplicia omnia plus ad mouendos ſenſus ualent.* Quòd *ſi fortè pares ſint atq; diuerſi, ne alterius quidem*

dem ſenſus erit: præſertim cum alter alterum æque obruat & obſcuret. Simplex aũt non æquè ſentiri poteſt: ob eamq; cauſam uel nullum ſenſum faciet, uel alium, & diuerſum uterque: quod quidem o- riri uidetur ex rebus quæ permiſcentur, quacunq; cum re temperentur. Quoniam igitur ex quibuſdã aliquid naſcitur, ex alijs non naſcitur, cuiuſmodi ea ſunt, quæ diuerſo ſenſui ſubijciuntur: permiſcentur enim ea quorum extrema contraria ſunt: ex cando- re autem & acuto ſono aut ſapore & odore, nihil temp ari poteſt, niſi improprie & caſu, non quem admodum ex acuto & graui concentus, fit ut ne e- orum quidem ſenſu unà affici poßimus. Motus enim ſi pares ſint, alius alium obruit, quandoquidem non unus ex ijs componitur. Sin impares ſint, uehemen- tior ſenſum faciet. Iam facilius duas res animus uno ſenſu percipere poteſt, quarum unus eſt ſenſus, ut a- cutum & grauem ſonum. Magis enim ſimul unius, quàm duorum ſenſuum, ut aſpectus & auditus, mo- tus exiſtit. Vno autem ſenſu duæ res percipi non poßunt, niſi inter ſe miſceantur. Permixtio enim unũ quiddam eſt, & unius unus eſt ſenſus, unus por rò hic ſimul eſt. Ita fit, ut ea quæ permixta ſunt, ſi- mul ſentiantur neceſſariò, quòd uno ſenſu qui mu- nere ſuo fungitur, percipiantur. Vnam enim in rem numero ſenſus unus reipſa intenditur, ſpecie autem unus in eam intendi poteſt. Quòd ſi unus ſenſus eſt qui intenditur, unum illa in quæ intendetur, erunt. Ita ea miſceantur neceſſe eſt. Cum ergo inter ſe per mixta & confuſa non erunt, duo ſenſus erũt, qui ſuo

munere

munere fungantur. Cùm autem una uis erit, unumq́; punctum temporis, unum etiam ſit ſenſus munus & officium neceſſe eſt: præſertim cum unius ſenſus unus ſit planè uſus & motus, una´que uis ac facultas. Fieri ergo non poteſt, ut duæ res ſimul uno ſenſu comprehendantur. Quòd ſi ea quæ eidem ſenſui ſubijciuntur, nō poſſunt, ſi duo ſint: certè multò minus ea quæ duobus ſenſibus propoſita ſunt, ut alba & dulcia, ſimul ſentiri poſſunt. Videtur enim animus id quod unum numero eſt, non alio niſi eodem tempore iudicare, cū id quod unius ſpeciei eſt. ſenſu cuius iudicium eſt, modóque iudicet. Quod ita intellectum uolo, ut dicam alba & nigra, quæ certè ſpecie differūt, dulciaq́; & amara, eundem ita dijudicare, ut nihil à ſe ipſo, ab illo autem differat, aliter autem utrunq; contrariorum. Quam autem rationem inter ſe coniugata habent, ut exempli gratia, guſtatus ad dulcia: eandem ad alba habet aſpectus. Vt autem hic atra, ſic ille amara iudicat. Præterea ſi contrariorum motus contrarij ſunt, & ſimul contraria eodem indiuiduoq́; tempore ineſſe non poſſunt, uno´que ſenſui contraria, ut dulce & amarum, ſubijciuntur: profectò fieri nō poteſt, ut hæc ipſa ſimul ſenſu comprehendātur. Quod eodem modò in ijs quæ contraria non ſunt, animaduerti licet. Alij enim colores candorem, alij atrorem imitantur. Ita fit, ut aliorū etiam eadem ratio eſſe uideatur: ueluti ſapores partim ad dulcem, partim ad amarum accedunt. Nec uerò ea quæ inter ſe temperata & confuſa ſunt, ſimul ſentiri poſſunt: quoniā contrariorum rationes ſunt,

ueluti

ueluti modus is qui dia paſon, & is qui dia pente dicitur, niſi fortè ut unũ ſenſu comprehendantur: quo quidem modo extremorum eadem ratio & proportio eſt. Aliter autem non poſſunt. Sic enim erit ſimul illa quidem multorum cum paucis, uel imparis numeri cum pari proportio: hæc autem paucorum cum paucis, uel paris cum impare. Si igitur magis inter ſe diſtant ea quæ coniugata illa quidem dicuntur, ſed ad diuerſa genera pertinent, quàm ea quæ in eodem genere ſunt, ueluti dulcia et amara coniugata appello, genere autem differentia, profectò dulcia & nigra maiorem habent, quàm dulcia & alba, generis diſtinctionem: & præterea multo minus ſimul eadẽ, quàm illa quæ generis eiuſdem ſunt, ſentiri poterunt. Ita ſi non hæc ipſa, ne illa quidem poterunt. Quod autem proferunt quidam eorum, qui in concentuum ratione uerſantur, ſonos non ſimul quidẽ ad ſenſum peruenire, uideri autẽ etſi ſenſum fugiant, cũ tempus ſenſu percipi non poteſt, id quæri poteſt, rectè ne an ſecus aſſeratur. Dicat enim fortaſſe quiſpiã etiam nũc, ex eo uideri ſimul cerniq́; aliquid, et audiri, quòd interualla temporis nos effugiãt. Aut certè non ita eſt, nec ullum tempus fugere ſenſum poteſt, aut latêre nos, ſed omne ſenſu cõprehẽdi poteſt. Si enim cum aliquis ſui ipſius ſenſum habet, aut alterius continuo tempore, non poteſt tum ſe eſſe ignorare: eſtq́; aliquis in continuo tempore et tantus, quantus planè ſenſum effugere non poßit: profectò ipſe an ſit omnino ignorabit: & an cernat, non ſentiet, & ſentiet. Præterea non erit nec tem-

pus,nec res ulla quã ſentiat,niſi ita ſit, ut ue in aliqua huius parte, uel aliquam eius partem cernat, ſi qua ſit modo & temporis & rei magnitudo, quæ ſub ſenſum propter paruitatem non cadat. Si enim rem totam cernat, totumq́; tempus ita continenter ſentiat,quòd in eius aliqua parte, aut quòd eius partẽ quandã intueatur, ſi modo ſit aliqua magnitudo, detrahatur C B *in quo nõ ſentiebat, certè in huius parte quadam,uel eius partem aliquam, ueluti terram totam cernit,quòd eius partem uidet,& annuo tẽpore ambulat, quòd hac eius parte. Atqui in* B C *nihil ſenſu comprehendit.* E*ò igitur quòd in aliqua huius parte* A B *ſentit, totius ſenſum habere dicitur.* E*adem etiam in* A C *ratio ualet. Semper enim et in aliqua temporis parte, & alicuius rei pars quædam ſenſu comprehenditur,tota autem comprehendi non poteſt. Omnia igitur ſub ſenſum cadunt: ſed quanta ipſa ſint,non apparet. Cum enim ſolis magnitudinem quis cernat, eamq́; quatuor cubitorum eminus,tamen quantus ſit ei non apparet:ſed interdum diſtingui non poteſt,cuius cauſa antè,cum de hoc diſputaremus, allata eſt.*E*x quibus perſpicuum eſt,tempus eſſe nullum quod ſenſum effugere poßit.* D*e ea autem quæſtione quæ paulò antè poſita eſt, uidendum eſt, utrum ſimul plura ſenſu comprehendi, necne poßint. Simul autem dico, in uno & indiuiduo tempore.* A*c primùm illud quidem quærendum eſt,fieri ne poßit,ut hoc ſimul, ſed alia animi parte ſentiatur,et ita indiuidua,ut omni quod continuum ſit:an quòd primùm quidẽ ea quæ uni ſenſui, ut aſpe*

ctui ſubiecta ſunt. Si animus alia parte alium colorem ſentiet, plures partes, quæ eiuſdem ſint etiam ſpeciei, habebit. Quæ enim ſenſu comprehendit, in eodem genere habentur. Quod ſi quis hoc afferat, eorum ſenſum haberi, quòd quaſi duo ſint aſpectus: nihil prohibet ita etiã in animo ſenſum haberi, propterea quòd fortaſſe ex his unum aliquid efficiatur, unumq́; ſit eorum munus & officium. Ibi autem ſi unum ex utroq; fiat illud erit id quod ſentit. Sin diſtinctum erit utrunq;, nõ eodem modo habebit. Præterea ijdem ſenſus plures erunt, non ſecus ac ſi quis diuerſas diſſimilesq́; ſcientias commemoret. Neq; enim munus ſine ui ac facultate ei congruente extabit, nec ſine hac ipſa ſenſus erit. Quòd ſi horũ una, eaq́; indiuidua parte ſenſum habet, profectò cæterorum etiam habebit. Facilius enim poterat plura huius generis ſimul, quàm diuerſorum generum ſenſu cõprehẽdere. Si uerò alia parte dulcia, alia alba animus ſentit, uel id quod ex his cõflatur unum eſt, uel non unum. Atqui unum ſit neceſſe eſt. Vnum enim quiddam ea eſt pars animi, qua ſentit. Cuius tandem unius illud erit? nihil enim ex his unum efficitur. Neceſſe eſt igitur unam aliquam animi partem eſſe, qua omnia ſentiat, quemadmodum antè diximus: ita tamen, ut aliud genus alio ſenſu percipiat. An igitur qua ex parte aliquid eſt quod reipſa diuidi nequeat, unum quiddam dulcia & alba ſentit? Cùm autem reipſa diuiditur, aliud atq; diuerſum eſt: an, quemadmodum in rebus ipſis, ſic etiam in animo uſuuenit? Idem enim unumq́; numero dulce & album eſt, &

alia pleraq;. Affectiones enim proprietateſq; rerũ ſi minus inter ſe ſecretæ ſeparatæq; ſunt, at certè ſua cuiq; & diuerſa ratio ac definitio eſt. Eodemq; mo*do in animo ponendum eſt, eandem & unam numero partem eſſe omnium quæ ſentiat: naturam autem & rationem aliam atq; aliam eſſe, ita tamẽ ut aliorum diuerſi diſsimiliſq; ſit generis, aliorum ſpeciei. Ita animus ſimul eadem et una parte, ratione autem non una ſentiet.* Illud *autem perſpicuum eſt, & magnitudinem eſſe, & diuidi poſſe id omne quod ſenſum moueat.* E*ſt enim interuallum unde res cerni non poteſt, incertum et immenſum: unde autem cernitur, certum atq; finitum.* Q*uod de ijs quæ ſub odoratum & auditum cadunt, quæq; ſenſum faciunt, cum ipſa non continguntur, iudicandum eſt eodem modo.* E*ſt igitur aliqua interualli extremitas, unde res non cernitur: eſt etiam initium, à quo cernitur.* Id*q; eam uim habeat neceſſe eſt, ut diuidi nequeat, cuius ſenſu ultrà affici nemo poſsit, citrà uerò afficiatur neceſſariò.* Q*uòd ſi qua res mouens ſenſum diuidi non poteſt, ea ſi in extremo collocatur, unde poſtremò quidem minimè ſenſum afficiat, primò autem afficiat, ſimul fiet ut ſub aſpectum cadat, & non cadat, quod fieri non poteſt.* A*c partium quidem in quibus ſenſuum locus eſt, rerumq; quæ ſenſibus ſubijciuntur, quæ ſit ratio & communis & in quoq; ſenſu, diximus.* Q*uòd autem ad alia attinet, primùm de memoria, & quid ſit meminiſſe, differendum eſt.*

Ariſto-

ARISTOTELIS DE Memoria & recordatione liber, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

DIcendū eſt nobis hoc loco quid memoria ſit, quidq́; meminiſſe: quid recordari, et qua ex cauſa oriantur, quaq́; in parte animi inſint hi motus et affectiones. Neq; enim ijdem memoria et recordatione pollent. ſed ferè tardi præſtãtiore memoria ſunt: recordatione autē, celeritate ingenij præditi, et dociles homines. Ac primùm qui dē dicēdum eſt, quæ memoriæ ſubiecta ſint, quādoquidem hoc ſæpe in errorem impellit. Neq; enim res futuræ memoria comprehendi poſſunt, ſed opinione expectationeq́; conſtant. Erit etiā iſto pacto ſcientia aliqua in rebus quæ ſperantur & expectantur, quemadmodum nonnulli diuinationem eſſe contendunt. Nec uerò præſentis eſt memoria, ſed ſenſus: quippe cū hoc ipſo nec futura nec præterita cognoſcamus, ſed modò præſentia. Memoria autem præteritorum eſt. Quod uerò præſens eſt, cum inſtat & adeſt, ut exempli cauſa, hoc quod album eſt cum cernit, nemo memoria tenere ſe ſolet dicere: neq; is qui contemplatur atq; intelligit, id quod intelligentia & mente cognoſcitur: ſed illud ſenſu percipere ſe dicit, hoc tantum ſcientia comprehendere. Cum uerò remota omni actione, ſcientiam & ſenſum rei alicuius habet, tum demum memoria tenet, trianguli angulos duobus rectis pares eſſe: illud quidem pro-

pterea quòd didicit, uel contemplatus eſt: hoc uerò, quòd ita audiuit aut uidit, aut aliquid eiuſdem generis. Semper enim cum memoriam ad opus cõuertit, tum deniq; in ipſo animo reputat, ſe hoc antea audiuiſſe, aut ſenſu percepiſſe, aut mente cognoſſe. Non eſt igitur memoria ſenſus, nec opinio: ſed alicuius eorum habitus, uel affectio, cùm tempus præterierit. Præſentium autem in inſtanti tempore non eſt, quẽ admodùm etiam antè dictum eſt, memoria: ſed eorum quæ adſunt ſenſus eſt, futurorum ſpes & expectatio, præteritorũ memoria. Itaq; memoria omnis cum tempore coniuncta eſt. Hinc ea ſola animantia quæ ſenſum habent tẽporis, memoria prædita ſunt: atq; ea ex parte, qua eius ſenſum habent. Quod autem antea in libris de Animo dictum eſt, de ea animi parte in qua uiſa imprimuntur: nec fieri poſſe, ut ſine uiſis aliquid animo & ratione percipiatur, id uerum eſt. quandoquidem idem uſuuenit, cùm aliquid intelligentia cernitur, quod in deſcriptionibus. Vt enim illic, cum illud nõ adhibeamus, magnitudinem trianguli certam eſſe, tamen id quod certæ magnitudinis eſt deſcribimus: ſic is qui rem animo cernit, etſi magnitudinem non intelligit, tamen ſibi ob oculos ponit magnitudinem. Sed rem intelligit, non quia magna ſit. Quòd ſi de natura rerum magnitudine præditarum agatur, & incertæ magnitudinis eſſe quis ponat id quod certæ eſt, tum rem qua ex parte magna eſt, ſolùm intelligit. Ac quæ ſit cauſa, cur animo percipi non poßint, nulla ſubiecta magnitudine, circunſcriptoq; tempore, ea quæ nulla ſunt, non eſt huius

huius diſputationis exponere. Quoniam autem magnitudo & motus eo ipſo quo etiam tempus neceſſariò cognoſcantur, & uiſum communis ſenſus affectio eſt: illud quidem perſpicuum eſt, eo quòd primò ſenſum ciet, horum oriri gigniq; motionem. Quoniamq; rerum quæ intelligentia cernuntur, memoria conſtare ſine uiſione nullo modo poteſt, fit ut ipſa memoria in ea parte animi quæ rationis mẽtisq; eſt, impropriè & per aliud, per ſe autem in ea quæ primò ſenſu percipit, uerſetur. Itaq; nonnullis etiam animantibus tributa eſt, non ſolum hominibus, atq; ijs quæ opinionis participes ſint, aut prouidentiæ. Quòd ſi earum partium, quæ ſunt mentis atq; rationis, eſſet, profectò in pleriſq; alijs animantibus minimẽ reperiretur, ac fortaſſe in nullo mortalium, quandoquidẽ ne nũc quidem in omnibus ineſt, propterea quòd nõ omnes, mortales animantes tẽporis ſenſum habent. Semper enim cum memoriam ad actionem remq; conferunt, ut exempli cauſa, ſe hoc uidiſſe aut audiuiſſe, aut didiciſſe, prioris, quemadmodum antè dixi, ſenſum habent. Prius autem & poſterius in tẽpore cernitur. Ac illud quidem perſpicuum eſt, ſi quæratur, cuius tãdem animi partium memoria ſit, eam eſſe eiuſdem cuius ſit & uiſio. Memoriaq; percipiuntur per ſe ea omnia, quæ eam partem animi mouent, in qua uiſa imprimuntur, per aliud autem: ea quæ ſine uiſis conſtare non poſſunt. Quærat autem fortaſſe quiſpiam, quî tandem fieri poßit, ut motu animi præſente, & re abſente, in mentem ueniat id quod non adeſt. Perſpicuum eſt enim, intelligen-

dum eſſe, eã affectionem quæ per ſenſum et in animo & in ea parte corporis in qua ipſe inſit gignatur, & cuius habitum memoriam eſſe dicamus, picturæ cuiuſdam ſpeciem gerere. Motio enim ea quæ oritur, *conſignat quaſi notam quandam ſenſorum: quemadmodum ij qui aliquid obſignant, annulis faciunt.* Quocirca ij qui in magno motu uel propter *animi perturbationes, uel propter ætatem uerſantur, non ualent memoria.* In his enim perinde fit, ut *ſi in aquam profluentem motus annulusq́; imprimãtur.* In alijs propter frigoris incommoda, ſicuti antiqua ædificia: & propter duritiem eius partis quæ motum accipit, ueſtigium & quaſi ſimulacrum non imprimitur. Itaq; ij qui admodum pueri & ſenes ſunt, obliuioſi ſunt & immemores. Motu enim agitantur, illi propter incrementum, hi propter deceſſionem. Itemq́; ij qui nimis acuto & qui tardo ingenio ſunt, non ualent memoria, propterea quòd illi humidiores ſunt quàm deceat, hi duriores. In nõnullorum igitur animis non manet rei ſpecies, in aliorũ non inſidet, nec imprimitur. Sed hoc loco quæri poteſt, ſi in memoria hæc omnia cernantur, utrum hãc ipſam affectionem memoria teneamus, an'ne illud à quo nata ſit? Si enim hoc ita eſt, nihil eorũ quæ abſunt memoriæ mandabimus. Sin illud, qui tandẽ eius rei cuius ſenſum habeamus, in mentem nobis ueniat, cuius id quod abeſt ſenſu nõ percipiamus? Si eſt quaſi forma & pictura in nobis, et huius ipſius ſenſus eſt, cur erit alterius memoria, nõ huius ipſius? Qui enim in opere uerſatur, hanc affectionem memoria repetit, &

tit, & contemplatur, eoq́; ſenſum rerum elicit. Quo nam igitur pacto rem abſentem memoria complecti tur? Hoc *enim pacto & cernere licebit id quod non adeſt, & audire.* An *uerò ut res ferat, hoc etiam accidit? ut enim depictum in tabula animal, & animal eſt & ſimulacrum, & unũ eſt utrumq́;, ſed non eſt eadem utriuſq; ratio et natura, licetq́; illud ipſum & ut animal & ſimulacrum conſiderare: ſic & ſpeciem illam quæ in nobis eſt, exiſtimare debemus, & per ſe aliquam eſſe notitiam, & alterius rei ſpeciem. Quatenus igitur per ſe conſideratur, notio eſt, uel uiſio: quatenus autem alterius eſt, illius ſimulacrum et recordatio.* Itaq; *cum eius motio in actione occupatur, ſi quatenus per ſe eſt, eatenus animus eo ſenſum rerum habet, quaſi intelligentiam quandam, aut uiſum uidetur explicare: ſin quatenus ad aliud refertur, tanquam in pictura, ſimulacrum intuetur, nec* Coriſcum, *ut* Coriſcus *eſt, uidet.* Tum *uerò alia eſt huius cognitionis ratio, alia cum ut animal depictum conſiderat, in animoq́; hoc quaſi intelligentia tantummodo: illud autem ut illic ſimulacrum, memoria dicitur.* Ob *eamq́; cauſam interdum neſcimus, cum in animo exiſtunt huiuſmodi motiones, à ſenſibus primum hauſtæ, ſint'ne ortæ à ſenſibus, interdumq́; utrum memoria ſit nec'ne dubitamus.* Fit *etiam interdum, ut animo aliquid cernamus, aut illius nobis ueniat in mentem, propterea quòd id antea audierimus, aut uiderimus: idq́; tum demum uſuuenit, cum quis rem per ſe ac ſolam ſpectans, ad aliam transfert & accommodat. Contraq́;*

 ſit non-

ſit nonnunquam, quemadmodum Antipheronti Ori tæ contigit, alijsq́;, quorum mens è ſua ſede dimota eſt. Quæ enim eorũ animis per uiſum obiecta ſunt, ita commemorarunt, quaſi gererentur ipſa, aut illis in mentem uenirent. quod tum contingit, cum quis id quod non eſt rei ſimulacrum, ut ſpeciem rei & ſimulacrum intuetur. Cogitatio autem & meditatio memoriam conſeruant recordando: quod aliud eſt nihil, niſi crebrò intueri rem aliquam non per ſe ſed quatenus alterius ſimulacrum eſt. Ac memoria quidem quid ſit, quid meminiſſe, dictum eſt: id eſt, uiſionis, quatenus ſimulacrum eſt eius rei cuius eſt uiſio, habitum. Diximus etiam qua in parte animi ſita ſit, id eſt in ea, quæ primò ſenſum mouet, quaq́; temporis ſenſum habemus.

Cap. 2. *Reliquum eſt, ut de recordatione dicamus. Principiò ea omnia quæ in libris ijs quibus de argumentis diximus, uera ſunt, ponenda ſunt ut uera. Neq; enim recordatio, memoriæ repetitio, aut ſuſceptio eſt, propterea quòd cum primum aut didicit quis, aut animo affectionem ſuſcepit, nec memoriam ullam repetit, nulla enim anteceſſit: nec ab initio percipit. Cum uerò habitus ſuſceptus eſt, aut motus animi, tum deniq; memoria eſt. Ex quo efficitur, eam cũ motu animi, qui oritur, minimè oriri atq; gigni. Præterea cum primùm ſuſcepta nataq́; eſt, in ultimo puncto temporis, motus animi in eo qui pulſus eſt, naſcitur, iamq́; ineſt ſciẽtia, ſi modo habitus aut motus animi ſcientiæ nomine appellandus eſt. Nihil autem prohibet, nos nõnullorum etiam aliena ui me*

moriam

*moriam percipere, quæ ſciamus, cum interim memoria per ſeſe non ineſt, antè quàm longinquitate temporis confirmata ſit. Meminit enim unuſquiſq; hoc tẽpore, quod antea intellexit, & mẽte percepit: non quòd modò animo percepit, nunc meminit. Hoc etiam perſpicuũ eſt, fieri poſſe ut is meminerit, qui non hoc tempore recordetur, cùm initio ſenſu motú ue animi eſſet affectus. At cùm animo quis repetit eam qua prius præditus fuerit ſciẽtiam, uel ſenſum, aut id cuius habitum memoriam diximus, tum deniq; hoc ipſum aliquid eorum quæ dicta ſunt, recordatio eſt. Meminiſſe autẽ ipſius interdum memoria cõſequens eſt, neq; uerò hæc omnino ac planè, etiã ſi antegreſſa ſint, et rurſus oriantur: interdumq; ita eſt, interdũ nõ eſt. Fieri enim poteſt, ut idẽ eandẽ rẽ & diſcat & inueniat. Aliud igitur eſſe debet. * hũc diſcere: aliud cum iam maiora inſunt rei principia, & quaſi iacta fundamenta, quàm cum didicit recordari. Recordatio autem tum demq; accidit & efficitur, cum motus unus animi eam uim habet, ut alterum conſequatur: ſi neceſſariò, hoc perſpicuum eſt, cum ille pulſus eſt, fore ut hic pellatur: ſi non neceſſario, ſed conſuetudine, fore ut pleruncq; pellatur. fit autem interdum, ut nonnulli ſemel facilius, quàm alij ſæpe pulſi aſſueſcant. Itaq; cum nonnullas res ſemel aſpeximus, firmior & conſtantior in nobis earum memoria manet, quàm aliarũ, quas crebro aſpectu conſiderauimus. Ergo cùm recordamur, eatenus pellimur, quoad ab aliquo animi motuum qui antegreßi ſunt pellamur, quem ille ſequi ſolet.*

Alij legunt τούτων, *ut dicant ab his differre,* τῶν διαφέρειν.

ſolet. Itaq; id quod deinceps ſequitur, ex re quæ præſto eſt, aut ex aliqua alia, aut ex ſimili aut cõtraria, aut etiã finitima inueſtigamus & perſequimur, ex eoq; recordatio exiſtit. cũ enim quarundã rerum ex his motus ijdem ſint, aliarũ eodem tempore oriã tur, nonnullarum partem habeant, fit ut quod reſtat perexiguum ſit: id cuius pulſus illum ſequitur. Atq; hoc quidem modo homines quærendo recordari ſolent. Alio autem modo etiam ſolent, cum hunc animi motum ille conſequitur. Sed ferè antegreßis multis motibus, quos diximus, exiſtere ſolet recordatio. Nihil autem attinet conſiderare, quónam modo rerum remotarum memoriam comprehendamus, ſed ſatis eſt, ſi finitimarum. perſpicuum eſt enim, eãdem rationem eſſe, qua omnes ea commemorent quæ ordine quodam conſequuntur, cum nec inueſtigatio ulla, nec recordatio in eis antegreſſa ſit. Conſuetudine enim motus animi, alij alios, ut hic illum, ſequuntur. Cum ergo recordari uult unuſquiſq;, hoc faciet, quæretq;, quemadmodum principium motus animi reperire poßit, quem ille conſequatur. Itaq; celerrimè atq; præclarißimè ducuntur à principio recordationes. Quam enim res inter ſe habent ordinis rationem, eandem etiam motus animi habent. Quædamq; facile memoria comprehendi poſſunt, ea quæ ordine quodam conſtant, cuiuſmodi ſunt diſciplinæ atq; artes: alia perdifficiliter. Hoc etiam recordari ab iterum diſcendo differt, quòd cùm meminit homo, quodam modo poteſt per ſe moueri ad ea quæ principium ſequuntur: cum non poteſt per ſe, ſed

aliena

aliena ui & ope eget, nõ iam meminit. Plerunq; iam non poteſt ille quidem recordari, ſed tamen quærere poteſt, & inuenit: quod ijs uſuuenit potiſſimum, qui multa mouent & agunt, dum ad eum motum perueniant, quem res ipſa conſequatur. Meminiſſe enim eſt, ineſſe uim quæ moueat ad agendum, idq; ita, ut ab eo qui agat proficiſcatur, ijsq; animi impulſionibus, quibus antè ut dixi, ad agẽdum moueri poteſt. Sed exordium capiendum eſt. Itaq; ex locorũ notis recordari interdũ uidetur, cuius cauſa eſt, quod citò ex alio aliud ei incidit: ut ex lacte in cãdorẽ progreditur, ex cãdore in aera, & ab hoc in humorẽ, ex quo ei autumni in mentẽ uenit, cũ hoc tẽpus exquireret. Videtur autem id quod generale uniuerſumq; eſt, principiũ ratioq; omnium. Si enim antea non meminerat, ei cũ ad illud peruenerit, memoria rei ſe offeret: aut certè nulla alia iam re admonebitur. ut ſi quis ea animo percurrat, quæ ordine quodam his literis A B C D E F G H *ſignificantur: nec cũ ad* E *peruenerit, ei in mentẽ ueniat, certè ei ueniet in mentẽ, cùm ad* H *peruenerit. Hinc enim ad utrũq;, & ad* D, *et ad* E *moueri atq; impelli poteſt. Quòd ſi neutrũ horum quærebat, cum ad* C *peruenerit, in mentẽ ei ueniet. ſi modo* G *uel* F *quærebat. Sin minus, cum ad* A *peruenerit, eodemq; modo ſemper. Cur autem ex eodem animi motu interdum id quod quæritur, ueniat in mentem, interdum non ueniat, cauſa eſt, quòd fieri poteſt, ut ab eodem principio ad plura, ueluti à* C *ad* F *aut* D *moueamur. Proinde ſi uetuſtas aut diuturnitas temporis non impellat, conſue-*

tudo

tudo impellet. Eſt enim quaſi natura iam cõſuetudo. Itaq; facile eorũ recordamur, quæ ſæpe cogitamus. Vt enim natura hæc res illam conſequitur, ſic rerũ actiones. Atqui id quod plerunq; fit, naturam imitatur. Quoniam autem quod in ijs contingit quæ natura conſtant, & contra naturam, & fortè fortuna: id multo etiam magis in ijs reperitur, in quibus ualet conſuetudo, quibus natura quidem non eodem modo conuenit, fit ut interdum & illuc, & aliò delabamur: quod tũ uſuuenit maximè, cùm illinc huc quodammodo rapimur. Ob eamq; cauſam, cum nomen ex memoria depromẽdum eſt, ſimile quidem depromimus: ſed tamen nõ in illud incidentes, ſolœciſmum committimus. Ac recordatio quidẽ ita fieri ſolet. Quod autem hoc loco plurimùm poteſt, tempus cognoſcendũ eſt, uel menſura certa adhibita, uel incerta. Sit igitur aliquid quo diuturnius à breuiore internoſcamus, atq; id conſentaneum eſt: quemadmodum aliquid eſt quo magnitudines diſtinguimus. Intelligit autem illud res magnas, & quæ procul abſunt, non aciem animi foras intendendo, ut oculorũ aciem nõnulli cõfirmant: (etenim ſi res nullæ ſint, eodẽ modo intelligit) ſed cuiuſdã rationis impulſu, quãdoquidẽ in eo ſunt ſimiles rebus ipſis figuræ atq; motiones. Quid igitur intererit, cùm res magnas intelliget? an quòd illas quæ minores ſunt, intelligat? Sunt enim minora omnia quæ in ipſis nobis ſita ſunt, quemadmodũ proportione ea etiã quæ extra. Licet autem fortaſſe, quemadmodum in formis rerum proportionem, ſed ipſo tempore adhibito, notare: ſic &

in

in interuallis, uelut ſi exẽpli cauſa motũ A B *motus* B E *impellat, &* A D *motum faciat.* Eandem *enim rationem motus* A C *&* C D *habent.* Quamobrem *ergo in* C D *motum potius quàm in* F G *impellet? An quam rationem* A C *motus ad motum* A B *habet, eandem motus* H *habet ad* M *motum?* His *igitur animi motionibus ſimul etiam agitatur.* Quòd *ſi* F G *noſſe uolet,* B E *eodem modo intelligit, cum interea pro* H E, K L *intelligat.* Hi *enim ànimi motus eandem habent inter ſe rationem, quam* F A *ad* B A *habet.* Cùm *ergo ſimul & rei & temporis motus exiſtit, tum animus memoriam ad opus cõuertit.* Si *uerò non faciat, & ſe facere putet, tum ſe meminiſſe exiſtimat.* Nihil *enim prohibet, aliquem falli, eiq; uideri, cum non ei in mentem uenit.* At *uerò ut is qui memoria agit, nõ putet, ſed ſe meminiſſe ignoret, hoc fieri nullo modo poteſt.* Hoc *enim meminiſſe eſſe diximus.* Cum *uerò rei motio ſine ulla tẽporis, aut contrà hæc ſine illa exiſtit, tum nemo meminiſſe dicitur.* Temporis *autem duplex eſt notitia.* Alias *enim menſura adhibita, nõ meminimus, ut hoc tertio die factũ eſſe, quomodocunq; factum ſit, aliàs etiã menſura adhibita, meminimus.* Quòd *ſi menſurã non adhibeamus ſoliti ſumus dicere, nos quidẽ meminiſſe, ſed quando id factum fuerit, neſcire: atq; id tum deniq; dicimus, cum hoc non habemus cognitũ, quando & quampridem id factum ſit.* Ac *illud quidem docuimus, non eoſdem memoria ualere, & recordatione.* Differt *autem meminiſſe à recordando, non ſolum tempore, ſed hoc etiam, quòd memoria*

multa animalia attingit: recordatio uerò in alio nullo eorum quidem quæ nota ſint, niſi in homine reperitur. In cauſa eſt, quòd recordatio quaſi quædam ratiocinatio eſt. Se enim antea audiuiſſe, aut uidiſſe, aut aliquid tale percepiſſe, is qui recordatur, ſecum ipſe reputat, eſtq; hoc quaſi quædam quæſtio: quod quidem ijs ſolis à natura tributum eſt, quibus etiam ea uis animi data eſt, qua conſilium capimus. Etenim deliberare & conſilium capere, quædam eſt ratiocinatio. Motum autem eſſe quendam qui ad corpus pertineat, recordationem, & queſtionem in tali uiſo, hinc ſciri poteſt, quòd nonnulli offenduntur, cum recordari non poſſunt: ijq; grauiter, qui mentem ſuſtinent, nec iam diligentiam ſtudiumq; in eo ponũt, ut eis ſubeat recordatio: nec minus, atq; adeò maximè melancholici. Hos enim uiſa mouent, agitantq; maximè. Cauſa autem cur in eis non eſt ſitum, ut recordentur, eſt, quòd quemadmodum ij qui iaculantur, iam non poßunt iactum telum reprimere: ſic is qui recordari uult, & aliquid inueſtigat, aliquid quod ad corpus pertinet, impellit. in quo ſita eſt hæc animi permotio. Omnium autem maximè perturbantur ij, quibus in eam partem animi, quæ ſenſum continet, humorem caſus infuderit. Neq; enim commoueri deſiſtit, quoad id quod quæritur, ſe offerat, motusq; animi recta uia procedat. Itaque & horrores & irarum ardores exiſtunt, cùm impulſu agitantur: nec his contrà ad ſe rapientibus, conſiſtunt. ſed eódem reuoluuntur: eaq; animi perturbatio accedere uidetur ad nomina, cantus & oratio-

orationes, cùm ex eorum ore aliquid cũ impetu excidit. Cùm enim deſtiterint, etiam inuiti rurſus canere, & uerba facere incipiunt. Sed ij qui ſuperiores capitis partes maiores habent, atq; pomiliones, obliuioſiores ſunt contrarijs, propterea quòd magno pondere depreſſa ſit illa eorum pars in qua ſenſus ſedes eſt: nec poßint ab initio motus animi in eis conſiſtere, ſed dißipentur, nec facile in recordando recto ordine progredi. Qui autem admodum pueri ſunt & ſenes, eos obliuioſos motus efficit, quòd hi in magna deceßione ſint, illi in acceßione. Pueri etiam & pomiliones obliuioſi ſunt, uſq; ad progreſſum ætatis. Ac memoriæ quidem quæ natura ſit, quaq́; animi parte animalia meminerunt, & recordatio quid ſit, quoq́; modo exiſtat, & quam ob cauſam, diximus.

ARISTOTELIS DE
Somno & uigilia liber, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

DE ſomno autem & uigilia quid ſint dicamus, & utrum animi propria ſint, an corporis, an communia: & ſi communia ſint utriuſq;, cuius ſint partis, animi aut corporis: quamq́; ob cauſam animalibus conueniant: & utrum omnia utrunq; eorũ attingat, an partim unum, partim alterum ſolum: an aliqua ex parte neutrum, alia utrunque. præterea quid ſit ſomnium, quaq́; de cauſa dormientes aliàs ſomnium uident, aliàs non uident: &

ſoliti'ne ſunt ſemper dormientes ſomnia uidere, etſi non meminerunt: quod ſi ita eſt, qua de cauſa fiat, & utrum fieri poſsit nec ne, ut futura prouideantur: & ſi id fieri poteſt, quo tandem modo: & ea'ne futura ſint, quæ ab hominibus modò gerantur, an'ne ea quorum Deus cauſam habeat: et utrum hoc natura, eueniat, an temerè & caſu. Ac primùm quidē illud profectò perſpicuū eſt, et uigilandi laborē animalis eſſe, & ſomnum. Contraria enim ſunt, uideturq; ſomnus uigiliæ quædam eſſe priuatio. Nam & in alijs ſemper, & in rebus natura conſtantibus in eadem re quæ ſit capax extrema ſolent exiſtere, eiuſdemq; eſſe affectio: ut ualetudo & morbus, pulchritudo & deformitas, robur & imbecillitas, aſpectus & cæcitas, auditus & ſurditas, leuitas & grauitas. Quod ex his etiam perſpici licet Quo enim uigilantem cognoſcimus, eodem etiam dormientem. Nam & eum qui ſentiat, uigilare, & omnem qui uigilet, aut alicuius eorum quæ extrà ſunt, aut alicuius earum motionum quæ in ipſo ſunt, ſenſum habere exiſtimamus. Si ergo uigilare in alio nullo niſi in ſentiēdo eſt, perſpicuum eſt, ea quæ dormiant, eo ipſo uigilare & dormire, quo ſentiant. Quoniamq; nec animi proprium eſt ſentire, nec corporis (cuius enim facultas eſt, eius etiam functio: qui autem ſenſus dicitur ut functio & actio, quidam motus eſt animi ad corpus perueniens) perſpicuum eſt, neq; animi propriam eſſe hanc affectionem, neque inanimum corpus ſentire poſſe. Cum autem antè in alijs libris de ijs quæ ut partes animi dicuntur, diſputatum

ſputatum ſit: eaq́; parte quæ ad alendum pertinet, relicta, alia nulla huius ſit expers: non eſt id quidem dubium, quin ea omnia in quibus acceſsio & deceſſio ſolum, non etiam aliæ uiuendi cauſa datæ partes reperiuntur, ſomni & uigiliæ ſint expertia: quo in *genere ea ſunt quæ terra eduntur.* Neq; *enim habent eam partem quæ eſt fons ſentiendi, ſiue ſeiungi poteſt, ſiue non ſeiungi.* Nam *ratione etiam hæc eam uim habet, ut ſeparari poſsit.* Itemq́; *illud perſpicuum eſt, nihil eſſe quod ſemper uigilet, aut ſemper dormiat, iiſdemq́; animantibus has duas affectiones conuenire.* Neq; *enim ſi animal ſit quod ſenſum habeat, id & uigilare & dormire non poteſt, quandoquidem hæ duæ affectiones ſitæ ſunt in ſenſu eius partis, quæ fons, origo & principium eſt ſentiendi.* Nec *uerò fieri poteſt, ut alterutrum ſemper in eodem reperiatur: ueluti, ut ſemper aliquod animantium genus dormiat, aut aliquod ſemper uigilet.* Præterea *omne opus & munus quod ſecundum naturam eſt, cum tempus in quo effici poteſt, egreditur, tum ipſa neceſſariò præſtare non poteſt: ut oculi qui aſpiciunt, huius muneris præſtandi finem faciunt.* Eadem *eſt & manus ratio, & cæterorum omnium, quorum aliquod munus & officium eſt.* Si *igitur eſt alicuius officium ſentire, atq; id fines temporis tranſeat in quo ſenſuum officio fungi continenter poteſt, iam id ipſum præſtare non poterit.* Quòd *ſi uigilare eo definitum eſt, quòd ſenſus ſolutus ac liber ſit, & contrariorum unũ adeſſe neceſſe ſit, non alterum, uigilareq́; & dormire con-*

traria ſint, quorum alterutrum in omnibus reperiri oporteat, neceſſarius eſt ſomnus. Si igitur ſomnus talis affectio eſt, idq; eſt quædam imbecillitas, propter uigilandi exuperantiam: & uigilandi exuperantia interdum morbum affert & parit, interdum non parit: ex quo efficiatur, & imbecillitatem & diremptionem in eodem genere eſſe: neceſſe eſt, omne id quod uigilet, eam uim habere, ut dormire poſſit: quippe cum fieri nō poſſit, ut quicquam laborem ferat ſempiternum. Eodemq; modo nihil perpetuo ſomno opprimi poteſt. Nam cū ſomnus motus ſit quidam eius partis animi, in qua ſedes ſenſus eſt, & quaſi nodus quidam ac uinculum, motusq; uacuitas: fit ut omne quod dormit eam uim, habeat, ut ſentire poſſit. Atqui id quod eam uim habet ut ſentire poſſit, ſentiendi munere fungi poteſt: & ſenſuum munus exequi omnino, ac propriè is non poteſt una eandemq; opera, qui dormit. Ex quo neceſſariò efficitur, omnē ſomnū eam uim habere, ut depelli fugariq; poſſit. Ac in cætera quidē ferè omnia perſpicuè ſomnus cōuenit, in aquatilia, in uolucres, & in gradiētia animalia. Etenim omnia piſciū genera, tū ea quæ molli cute tecta ſunt, dormire uiſa ſunt: tum omnia quæ oculos, tum ea quæ duros oculos habent. Perſpicuum eſt etiam, ea animantia dormire, quæ inciſuris quibuſdam conſtant: quanquam hæc ipſa breui ſomno contenta ſunt. Itaq; ſæpe incertum eſt, dormiant nec'ne. Ea uerò quæ duro corio tecta ſunt, ſenſu quidem nondū perſpectum eſt, an'ne dormirent: quòd ſi cui probabilis hæc ſit oratio, ei fides habebitur.

habebitur. Atq; ex his quidem perſpicuum eſt, in animantia omnia ſomnum cadere. Animal enim ex eo quòd ſenſu ſit prӕditum definitum eſt: ſenſus autem quodam modo in fungendo munere imbecillitatem, & quaſi uinculum quoddam ſomnum eſſe dicimus: uigiliam uerò in diſſolutione et relaxatione poſuimus. Eorum autem quӕ terra ex ſe fundit & gignit, nihil utriuſq; motus eſt particeps. Nam ſine ſenſu nec ſomnus, nec uigilandi labor ulli rei conuenit: quibus autẽ ſenſus cõuenit, dolor etiam et uoluptas: in quibus autem hӕc reperiuntur, in iis etiam cupiditas: quorum nihil in iis reperitur, quӕ oriuntur ex terra. Idq; ex eo perſpici licet, quòd pars ea animi, quӕ alendi uim habet, melius officium ſuum in ſomno quàm in uigilia exequitur. Aluntur enim & augentur tũ melius animalia, quòd nihil ad hӕc munera obeunda ſenſum requirant.

Sed quӕ ſit dormiendi uigilandiq; in animantibus cauſa, & quo in ſenſu, uel quibus in ſenſibus, ſi in pluribus hӕ functiones eueniant, exponendum eſt. Quoniam autem in nonnullis animalibus omnes ſenſus reperiuntur, in aliquibus non reperiuntur, ut auditus, & aſpectus: tactum autem & guſtatum omnia habent, niſi ſi quod eſt inchoatum & imperfectum, de quibus in libris de Animo dictum eſt: & fieri non poteſt, ut animal cuiuslibet ſenſus munere in ſomno fungatur: non eſt id quidem dubium, quin neceſſe ſit in ſomno, qui uocatur, eundem motum omnibus conuenire Si enim alio uteretur, alio non uteretur, hoc etiam in ſomno fungeretur: quod fieri non Cap. 2.

 poteſt.

poteſt. Quoniamq; omni ſenſui tũ propriũ aliquid, tũ commune attributũ eſt: propriũ, ueluti aſpectui cernere, auditui audire, eodemq; modo cæteris: eſtq; uis quædam communis, quæ ad omnes pertinet, quæ eadem & uidet & audit (non enim quidem certè aſpectu uidet ſe cernere) nec iudicat aut internoſcere poteſt diuerſa eſſe dulcia ab amaris, non guſtatu quidem, nec aſpectu, nec utroq;, ſed quadam parte communi omnium quæ ſub ſenſum cadunt. eſt enim & ſenſus unus, & quod propriè ſenſui obijcitur unum: ratio autem ſenſus in quoq; genere diuerſa, ut ſoni & coloris: id quod ſimul in tangendi ſenſu maximè perſpicitur, qui cùm ab alijs ſenſibus ſeparatur, cæteri ab illo diuelli ſeiungiq; nõ poſſunt, de quibus in libris de Animo dictũ eſt: perſpicuũ eſt in hac parte animi uigiliã & ſomnum conſiſtere. Itaq; omnibus animantibus conuenit, quoniam etiam tactus ſolus in omnibus reperitur. Etenim ſi ex eo ſomnus uſuuenit, quòd omnibus ſenſibus aliquid accidat: abſurdum eſt, eos ſenſus qui nec neceſſariò funguntur ſuis muneribus, nec quodam modo fungi poſſunt, ſimul eademq; opera & nihil agere neceſſe eſſe, & omni motu uacare. Contrà enim magis conſentaneum eſſet eis euenire, ut ne ſimul quieſcerent. Quod autem hoc tempore dicimus, id in his etiam rectè intelligitur. Cùm enim ei quod principatum in cæteras ſenſuum ſedes obtinet, & ad quod cætera pertinent, aliquid accidit, cæteris etiam omnibus idem conueniat neceſſe eſt. Si quod autem illorum non poßit, id non neceſſe eſt ab hoc

minimè

minimè effici poſſe. hoc autem in pleriſq; rebus perſpici licet, ſomnum nec in ſenſuum ceſſatione, neq; in ſentiendi imbecillitate conſiſtere. In animi enim defectionibus tale aliquid accidit, præſertim cum animi defectio quædam ſit ſenſuum imbecillitas, & talia quædam animi mentiſq; deliria eueniant, & ij quibus in ceruice uenæ aſtringuntur, ſenſu carere ſoleant. ſed tum demq; ſomnus habendus eſt, cùm animal ſenſuum munere fungi non poteſt: idq; non quauis ſentiendi ſede atq; parte nec quauis de cauſa, ſed quemadmodum modò dictum eſt, ea ſentiendi parte, in qua ineſt ſentiendi principatus. Cùm enim ea pars ſic affecta eſt, ut ſentire non poſſit, neceſſe eſt etiam cæteras ſenſuum ſedes omneis officiū ac munus ſentiendi exequi non poſſe. Cum autem illarū aliqua non poteſt, nō neceſſe eſt hanc nō poſſe exequi. Cur autē ſomnus eueniat, quæq; ſit hæc affectio, dicendū eſt. Multa quidē ſunt genera cauſarū. Nā et finem, et id unde motus principiū exiſtit, & materiam, & formam, cauſam dicimus. Principiò quoniam naturā dicimus agendi cauſa datam eſſe, idq; in bonis ducitur, quietem autem omnibus rebus quæ ſuapte natura mouentur: ijs uerò quæ perpetuo continuoq; pulſu agitari non poſſunt, cum uoluptate, neceſſariam eſſe & utilem, ſomnoq; hanc nominis tranſlationem à ueritate coacti omnes accommodant, quòd ſit requies: fit, ut ſalutis animantium cauſa data ſit. Atqui uigilia finis eſt, quandoquidem ſentire ac ſapere omnia quibus alterum ineſt, tanquam finem propoſita habent. Nihil enim his præſtantius eſt,

nihil melius, & finis quidam optimum eſt. Præterea *neceſſe eſt ſomnum unicuiq; animali conuenire.* Di*co autem neceſſe eſſe, ex adiunctione, ſi animal ſit, quod ſuam naturam habeat, ei quædam neceſſariò ineſſe oportere: quæ ſi ſint, alia adeſſe oporteat.* Di*cendum eſt etiam deinceps, quo ex motu uel actione corporum uigilia & ſomnus in animantibus conſequantur.* Et *quoniam in cæteris animantibus, ut in ijs quæ ſanguine carent, aut eaſdem, aut ſimiles cauſas eſſe exiſtimandum eſt: in ijs autem quæ ſanguinē habent, eaſdem quæ in hominibus perſpiciuntur, ex his omnia cognoſcenda ſunt.* Atq; *illud quidē prius in alijs libris expoſitum eſt, ſentiendi principium ab eadem parte, à qua etiam mouendi, animalibus uſuuenire.* Id *autem eſt trium certorum locorum, medius, inter caput & inferiorem aluum locatus.* Atq; *ijs quidem quæ ſanguinem habent, pars eſt quæ cordi propinqua eſt.* O*mnibus enim animantibus quæ ſanguinem habēt, cor datum eſt, ex quo fons & principiū ſenſus ac motus præcipui ducitur.* Ac *illud quidem perſpicuum eſt, & mouendi & reſpirandi, & omnino refrigerandi fontem ac principium in hac parte conſiſtere.* Caloriſq; *qui huic parti tributus eſt, natura fecit, ut animantia partim reſpirarent, partim ſalutis cauſa humore refrigerarentur.* De *quo pòſt ſuo loco dicetur.* In *ijs autem quæ ſanguinis expertia ſunt, & in ijs quæ inciſuris quibuſdam conſtant, quæq; ſpiritum non ducunt, principium eſt in parte quæ cordis locum obtinet.* Spiritus *enim cognatus dilatari & contrahi perſpicitur; id quod animad-*

animaduerti licet in ijs beſtiolis, quæ pennas perpetuas continuataſq; habent: cuiuſmodi ſunt ueſpæ et apes, atq; in muſcis, alijsq; generis eiuſdem. Quoniã autem moueri aliquid, aut fieri ſine ui nullo modo poteſt, uim autem gignit ſpiritus retentio: ijs quidem quæ ſpiritum ducunt, uis quædam extrinſecus euenit: ijs uerò quæ non reſpirant, cognata & inſita. Itaq; *ea quæ pennarum adminiculo utuntur, ſonum quendam uidentur edere, cùm aeris ictu pulſuq; mouentur, qui in ſeptum tranſuerſum eorum animantium quibus pennæ perpetuæ datæ ſunt, incurrit.* Omnia *autem motu cientur tum, cum ſenſus aliquis uel naturæ accommodatus, uel alienus in prima ſentiendi parte naſcitur.* Quòd *ſi ſomnus & uigilia huius ſunt partis affectiones, profectò perſpicuum eſt, quo in loco, quáq; in parte primùm ſomnus ac uigilia exiſtant.* Nonnulli *autem tum, cùm dormiunt, mouentur, faciuntq; multa, quæ uigilantes, ſed tamen non ſine uiſione ſenſuq; quodam.* Som*nium enim ſenſus eſt quodam modo, de quo poſtea dicendum erit.* Cur *autem ſomniorum homines, cum expergefacti ſunt, recordentur: ea uerò quæ uigilantes fecerunt, non recordentur: in* Problematibus *dixìmus.*

Nunc *ſequitur ut explicemus, quibus rebus, & unde principium uigilandi dormiẽdiq; exiſtat.* Per*ſpicuum eſt quidem, neceſſe eſſe animantibus omnibus, cum ſenſum habent, primò cibum capere, atq; augeri: cibumq; extremum eſſe omnibus, ijs quidem quæ ſanguinem habent, ſanguinis naturam: ijs au-* Cap. 3.

tem quæ ſanguine carent, aliquid quod illius locum teneat quadam ſimilitudine, quorum ſit cor fons atq; principium. Quod autem dixi, perſpici licet ex anatomijs. Igitur cum cibus extrinſecus in loca ad capiendum idonea intromittitur, quædam in uenas exhalatio ingeritur, ibiq; mutata in ſanguinem uertitur, & ad eam partem diſtribuitur, in qua ſanguinis fontem principiumq; eſſe diximus. De quibus etſi in libris de Cibo dictum eſt, tamen de ijſdem altè petendum principium eſt, ut motus initia cognita habeamus, quidq; parti nunc in qua principium ſenſus ineſt, accidat, ut uigilia & ſomnus oriantur. Neq; enim ſomnus quæuis eſt, iam ut dixi, imbecillitas eius partis in qua ſedem ſentiendi ponimus: quippe cum & amentia & ſuffocatio quædam, & animi defectus talem efficiat imbecillitatem. Iam uerò nonnullis etiam quos animus defecerat, uiſa quædam uehementia acciderunt. Atq; hoc quidem nonnullam dubitationem habet. Si enim fieri poteſt, ut is quem animus deficiat, dormiat: fieri etiã poterit, ut uiſio etiam ſit ſomnium. Multa autem dicunt ij quibus uehemens animi defectio euenit, atq; ij qui in ea ſunt opinione, ut intereant, de quibus omnibus eodem modo iudicandum eſt. At enim quemadmodum diximus, non eſt ſomnus in omni imbecillitate eius partis, in qua ſedem ſentiendi ſtatuimus: ſed ex habitu eo qui ex cibo exiſtit, hæc ipſa affectio gignitur. Neceſſe eſt enim id omne quod exhalatur, aliquantiſper impelli, deinde more Euripi ultro citroq; commeare atq; reuerti. Calor autem cuiuſq;

animan-

animantium in ſublime ferri ſuapte natura ſolet: quò poſteaquam peruenerit, uniuerſus atq; accumulatus reuertitur ac refertur. Itaq; cibi ſomnum gignunt maximè. Magna enim humoris reiq; corporeæ copia conferta & coaceruata in ſuperas partes fertur, ubi cùm hæret, premit ſuo pondere, facitq; ut nos ſomni cupiditate ducamur: cùm uerò deorſum propendet, relataq; calorem commouet, tum ſomnus naſcitur, animaliaq; dormiunt. Idq; intelligi licet ex ijs quæ ad conciliandum ſomnum ualent. Omnia enim capitis grauedinem gignunt & poculenta & eſculēta: ut papauer, mandragora, uinū, & loliū. atq; hoc ipſum uſuuenire uidetur, cùm toto penè corpore deorſum feruntur, eosq; ſomni cupido capit, ita ut nec caput erigere poßint, nec palpebras attollere. Ac talis eſt ſomnus maximè, qui cibum & paſtum ſequitur, propterea quòd in paſtu magna eſt halituum reſpirationumq; copia. Atq; etiam ex quibuſdam defatigationibus ſomnus oritur. Valet enim labor et defatigatio ad colliquefaciendum. Colliquatio autem eſt quaſi cibus crudus in ſtomacho, niſi ſit frigida. Nōnulli etiam morbi hoc ipſum efficiunt, omnes ij qui ex humoris calorisq; redundantia naſcuntur: quo in genere ſunt febres atq; lethargi. Præterea ineunte ætate id contingit. Infantes enim ac pueri alto ſopore opprimuntur, propterea quod cibus omnis ſurſum feratur. Quod ex eo ſciri poteſt, quia ſuperiora inferioribus magnitudine prima ætate præſtāt, propterea quòd eò incremētū corporis ſoleat cōtendere. Ob eamq; cauſam morbi

epilepitci

epileptici & comitiales incidunt. Eſt enim ſomnus epilepſiæ ſimilis. Itaq; huius morbi principium dor mientibus uſuuenit, dormienteſq; opprimuntur hoc morbo, uigilant es non opprimuntur. Cùm enim ad ſuperiores partes multitudo halituum, reſpirationumq; fertur, iterum inferiora loca capeſſens, uenas ſuo pondere opprimit: comprimitq; eam uiam, qua ſpiritus ducitur. Quocirca uini uſus pueris ac nutricibus, ut noxius, interdicendus eſt. Nihil enim refert, ipſi ne bibãt, an' ne nutrices, niſi dilutũ aqua, modoq; adhibito præbeatur. Vinum enim reſpirationum halituumq; plenum eſt, ac nigrum maximè. Sic enim plenæ ſunt alimenti ſuperiores puerorum partes, ut quinq; menſibus ceruices minimè inflectant. Vt enim ualde ebrijs, ſic pueris, magna humoris copia ſuperas partes capeſſit. Quod conſentaneũ eſt, à motu effici, quietemq; afferri fœtibus primùm in utero tantam ut ſe non moueant. Omninoq; homi nes ij quibus uenæ nõ apparẽt, & pumiliones, id eſt, quibus ſtatura breuis eſt, & qui magnitudine capitis præſtant, ſomniculoſi ſunt. Illorum enim uenæ ita anguſtæ ſunt, ut non facilè humor è ſuperiore loco deſcendens diffluat: ijs autem qui breues ſunt, ut pomilionibus, & qui cerebri copia abundant magna eſt in ſuperis partibus reſpirationum copia. Quibus autem uenæ latè patent, ij propter diffluẽdi per uias & itinera facilitatem, haud ferè ſomno indulgere ſolent: niſi quid fortè aliud contrà eueniat. nec melancholici, propterea quòd refrigeratus eſt locus interior, ut non magna in eis halituum copia oriatur.

*Ob eã enim cauſam edaces ferè ſunt, cũ duritiem & ſiccitatem quandã præ ſe ferãt. Sic enim affecta ſunt eorum corpora, quaſi nullam uoluptatem perceperint. Nigraq́; bilis cùm frigida ſit natura ſua, et eam partem in qua alendi ſedes eſt frigore afficit, & cæteras, ubicunq; hæc redundantia ineſſe poteſt. Perſpicuum eſt igitur ex ijs quæ dicta ſunt, ſomnum cõcurſum quendam eſſe caloris ad interiores partes, et ἀντιπερίςασιν naturæ cõgruentẽ, propter eã cauſam, quã diximus. Itaq; magno in motu * ægri uerſantur. Cùm autem deficit ac refrigeratur calor, tũ propter frigus palpebræ demittuntur, pareſq́; ſuperiores atq; externæ frigidæ ſunt, intimæ autem & inferiores calidæ, ut eæ quæ pedibus uicinæ ſunt & intimæ. Quanquam autem dubitatio quædam hoc loco exiſtere poteſt, propterea quòd paſtũ alti ſomni ſequuntur: ualetq́; uinum ad ſomnum conciliandum, & alia quædam calores eiuſdem generis habent: tamen non eſt abſurdũ, neq; alienum, ſomnum eſſe in frigore, eiuſq́; cauſas calidas. Quod quidem utrum ita eueniat, quia ut ſtomachus cùm eſt inanis, calidus eſt: cum plenus, ipſe cibus eum propter motũ refrigerat: ſic utinera & loca quæ in capite inſunt, cum eò halitus feruntur, refrigerantur an. uerò quemadmodum ijs qui aliquo humore calido perfunduntur, repentè horror quidam oboritur: ita illic remiſſo calore cùm frigus confertim inducitur, refrigerat, innatumq́; calorem omni ui priuat, atq; abire cogit. Præterea cùm multum cibi adhibetur, quem calor ſurſum ferat, ſimile eſt ut cùm ignis li-*

Lego enim νοσοῦντος. alij νοοῦντος, uetus interpres ὑπνοῦντος. uertit enim, Multus motus eſt dormiẽtis.

gnis adhibitis refrigeratur, quoad in ea ignis uim ſuã immiſerit. Euenit enim *ſomnus tũ deniq;, quemadmodum dixi, cùm calor ui ſua ad caput per uenas aliquid corporeum perdúcit. Cum uerò iam non poteſt, ſed id quod in ſublime latum eſt, copia ſuperat, tum repellitur, atq; ad inferas partes refluit.* Itaq; *cadunt homines, calore eo qui in ſublime ferebat, diſsipato.* Homo *enim ſolus ex animantibus erectus eſt: & cum decidit calor, mentis officium aufert primùm, deinde etiam uiſionem.* An uerò *eæ explicationes quas commemoraui eam uim habent, ut doceant refrigerationem oriri? Sed tamen propriè locus eſt quidam, quo cerebrum continetur, qui quemadmodũ alio loco dictum eſt, huius rei principatũ obtinet.* Is *omniũ eſt eorũ quæ ſunt in corpore, frigidiſſimus: & in ijs animalibus quæ cerebro carent, aliquid eſt quod eius locum obtinet.* Vt *igitur uapor is qui ſolis calore exhalatur, cum ad ſuperiorem locum peruenit, propter frigus quod in eo eſt maximum, refrigeratur, coactusq; deorſum fertur ſuo põdere, poſteaquam rurſus in naturã aquæ uerſus eſt: ſic in relatione caloris ea quæ in cerebro euenit, reſpiratio quidem redundans in pituitã uertitur. hinc catharros ex capite oriri conſtat: ea autẽ quæ ſalutaris, ad alẽdumq; ualet, et quæ morbos nõ gignit, coacervata & conferta deorſum fertur, caloremq; refrigerat.* Facit *autẽ tenuitas & anguſtia earum uenarum quæ cerebrum continent, ut refrigeretur, nec facilè halitum recipiat.* Ac *refrigerationis quidem hæc cauſa eſt, eiusq; reſpirationis quæ calore uincit.*

Experge-

Expergeſiunt autem tum animalia, cum concoctus eſt cibus, & coniunctus calor circunfuſo frigore amplificatus uicit, ſanguinemq́; craſſum à puro ſecreuit. Eſt autē tenuiſsimus ſanguis & puriſsimus is qui in capite ineſt: craßiſsimus uerò et impurißimus inferioribus partibus datus eſt. Omnis autem ſanguinis fons ac principium eſt in corde, ut & hoc loco & alijs libris dictum eſt. Vtriuſq; autem extremarum cellularum cordis media communis eſt, illarū uerò utraq; ſanguinem ex utraq; uena excipit, et ex ea quæ magna, & ex ea quæ ἀορτὴ nocatur. In media ſanguinis fit diſtributio. Sed de his diſſerere, non eſt huius loci. Quoniam autem ſanguis maximè à cibo impurior gignitur, ſomnus manet, quoad ſanguis tributus ſit, is quidem qui purus eſt ad ſuperas partes, ad inferiores autem craßior: quod cùm factum eſt, tum demq; animantia à pondere quod cibi afferebāt, libera a ſomno excitantur. Ac dormire quidem quid ſit dictum eſt, ἀντιπερίστασιν quādam quam confertim in ea parte in qua eſt ſentiendi ſedes efficiat halitus quidam craſſus, ad ſuperiores partes caloris innati ui impulſuq; ſublatus. Dictum etiā eſt, quid ſomnus ſit: id eſt, eius partis in qua fons eſt ſenſuum, uinculum quoddam & impedimentū, quo minus munere ſuo fungi poßit. Hoc etiā docuimus, ſomnum eſſe neceſſarium illū quidem: neq; enim animal eſſe ullo modo poteſt, quin ea quæ illud omnibus ſuis partibus perficiunt & abſoluunt, ei uſuueniant, ſed tamen ſalutis cum cauſa datum eſſe. Conſeruat enim requies animantia.

Fortaſſe legendū eſt in Græco ἀορθὴ, ut ſit caua uena, de qua Cic. in 2. de Nat. deorū loquitur.

Ariſto-

ARISTOTELIS DE Somnijs liber, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

DEinceps de ſomnijs quærēdum eſt, ac primùm qua animi parte uideantur: & utrum hic motus eius ſit partis animi qua intelligamus, an eius qua ſentiamus. His enim duabus ſolis, earum quæ in nobis ſunt rerum notitias percipimus. Quòd ſi oculorum munus ac officium eſt aſpectus: & auditus, auditio, & uno nomine ſenſus officium ſentire eſt: hæc autem communia ſunt ſenſuum, ut figura & magnitudo, cæteraq; eiuſdem generis: propria uerò, ut color, ſonus, ſapor fieriq; non poteſt, ut omnia quæ oculos claudunt ac dormiunt, cernant, itemq; in cæteris: profectò ne in ſomno quidem ſenſu aliquid percipimus. Ex quo efficitur, nihil in ſomnijs uideri ſenſibus. Neq; uerò opinionis ſunt. Neq; enim aliquid quod accedit, hominem tantum aut equum eſſe dicimus, ſed album etiam atq; pulchrum: de quibus opinio ſine ſenſu nihil uerè falſoue cōfirmauerit. Atqui hoc in ſomnis interdum animus facit. Peræquè enim eum qui accedat, hominē & album uidemur uidere. Præterea præter ſomnia aliquid animo percipimus: ſed quemadmodum uigilantes aliquid ſenſu percipimus, (cuius enim ſenſum habemus, de eo etiam aliquid plerunq; cogitamus) ſic in ſomno præter uiſa interdum alia animo cognoſcimus. Quod facilè apparebit, ſi quis animaduertat, co-

tat, coneturq́; recordari cũ ſurrexerit & expergefactus fuerit. Quinetiam nonnulli aliquando eiuſmodi ſomnia uiderunt, ut ij qui ſibi uidentur ex memoriæ præſcriptione quæſtiones ponere. Cõtingit enim eis ſæpenumero, aliquam aliam uiſionem præter ſomnium in loco quaſi oculis ſubijci. Ex quo perſpicuũ eſt, nec ſomnia omnia eſſe ea quæ in ſomno uideantur: & quod animo ac mente percipiamus, id nos opinione iudicare. Hoc autem de his omnibus tantum perſpici licet, motum eo ipſo in ſomnis gigni, quo nos etiam uigilantes in morbis erramus, atq; captamur. Quinetiam ualentibus & ſcientibus, tamẽ ſol pedalis uidetur. Sed tamen ſiue eadem, ſiue alia ſit pars animi quæ uiſa & quæ ſenſa percipiat, non ſine rei alicuius aſpectu aut ſenſu oritur. Falſo enim cernere, et audire, cernentis uerè aliquid, & audientis eſt: quanquam non illud ipſum quod putarat. In ſomno autem poſitum eſt, nihil cernere, nec audire, nec planè ullius ſenſus officio munereq́; fungi. An igitur nihil in ſomno uideri & cerni uerum eſt, nihil uerò ſenſum pati, id non uerum? Fieriq́; poteſt, ut & aſpectus aliquid accipiat, ac quaſi patiatur, et cæteri ſenſus? Quorũ quodq; in ſenſum quidem quaſi uigilantis quodammodo incurrit, non ita tamen ut uigilantis: interdumq́; aſſenſus id quod uidetur, falſum eſſe dicit, interdũ ſuſtinetur, uiſionemq́; approbat. Atq; illud quidem perſpicuum eſt, non eſſe opinantis, nec ratione utentis eam animi affectionem, quam ſomnium uocemus, nec uerò planè ſenſu utentis eſt. Cerneremus enim planè, & audiremus dor-

ee mientes.

mientes: ſed quatenus, quoq; id modo liceat, uidendũ eſt. Poſitum igitur ſit id quod etiam perſpicuum eſt, eius quod ſenſus ſit particeps, ſomnium affectionem eſſe quandam. ſiquidem etiam ſomnus eſt, præſertim cum non alicui alij animanti ſomnus, alij ſomnium, ſed eidem conueniat. Quoniam autem de uiſione in libris de Animo dictum eſt, idemq; eſt ea pars animi, cui uiſa obijciuntur, quod ea quæ ſenſum habet: & ſi alia eſt utriuſque ratio ac definitio, & uiſio motus eſt quidam à ſenſus uſu & functione ortus, ſomniumque uiſionem quandam eſſe apparet: profectò eius partis animi quæ ſenſus eſt particeps, atq; id quatenus uiſorum receptaculum eſt, proprium eſt ſomniare.

Cap. 2. Quid uerò ſomnium ſit, quoq; modo eueniat, facilimè ex ijs quæ in ſomno accidunt, intelligemus. Ea enim quæ ſenſus mouentia ſunt, nos in quaq; ſenſuum ſede ſenſu afficiunt: eaq; animi affectio quam gignunt, non ſolum in ſenſuum ſedibus, tum cum ſenſus munere ſuo funguntur, ineſt, ſed etiam cùm non funguntur. Idem enim & in his uidetur contingere, & in ijs quæ pulſu agitantur. In ijs enim quæ mouentur cùm id quod pulſu agitauit, non iam contingit, id quod pulſum eſt, mouetur: propterea quòd id quod pulſauit fortè fortuna aliquẽ iactauit, atq; is rurſum iactatus, alium: eodemq; modo ad eũ finem dum nanciſcantur aliquid in quo conſiſtat, in aere & aqua pulſu agitat. Quod etiam fit in commutatione. Id enim quod calefactum eſt, proximam quamque rem calore afficit & ad principium uſque

illud

illud ipſum perſequitur. Itaq; in ſentiendo etiam, quoniam immutatio quædam ſenſus functio eſt, id fieri neceſſe eſt. Quocirca ſomnus affectio eſt quædam, non ſolum tum, cùm ſenſuum ſedes ſenſu afficiuntur: uerùm etiam cùm nihil agunt, & intimis & extremis partibus. Quod tum facile perſpici licet, cum ſenſum alicuius rei cõtinuamus. Tum enim auerſo ſenſu, affectio ſequitur. ut ſi aſpectum à ſole ad tenebras conuertamus, nihil cernimus, propter motum qui tum etiã à lumine ortus in oculis ſubeſt. Ac ſi diu colorem, uel album uel uiridem contueamur, talis quædam affectio incidit, quócunq; aſpectum conuertamus. Solemq; ſpectantes, aut aliquid aliud ſplendidum, ſi cõniueamus, & obſeruemus, uidemur uidere recta uia qua aſpectum dirigimus, primum illud ipſum eodem colore, deinde in phœniceũ mutatur, tum in purpureũ, uſq; eò dum in nigrum ſe uertat & obruatur. Quinetiam cùm ab ijs quæ motu feruntur, ut à fluminibus, tum uel maximè ab ijs quæ maximo impetu feruntur, ſi oculos auertamus, ea quæ ſtant, moueri uidemur. Atq; etiam uehementes ſonorum appulſus homines ſurdaſtros efficiunt: & acres odores difficultatem olfaciendi nobis pariunt. Atq; in alijs eiuſdem generis hæc nobis planè hoc modo ſignificant. Senſus autem citò paruas etiam diſsimilitudines percipere, id quod in ſpeculis uſuuenit, declarat: de quo ſi quis diligenter uiderit, etiam dubitabit, et plura quæret. Simul autem ex eodem illud perſpici licet, aſpectum, ut pati & accipere, ſic etiam aliquid efficere. In ſpeculis enim

ualde nitidis & ſplendidis ſi mulieres cùm muliebria eis incidunt, ſpeculum intueantur, in ſummo ſpeculo quaſi nebula quædam cruorem imitans naſcitur: quòd ſi nouum ſit ſpeculum, non facile ea macula detergitur. Sin uetus, facilius. Idq; fit propterea, quòd aſpectus, ut dixi, non ſolum ab aere afficitur, ſed etiam aliquid facit & mouet, quemadmodum res illuſtres & magno ſplendore nitentes. ſi quidem aſpectus in ijs rebus eſt, quæ micant, coloreq; infectæ ſunt. Ac oculi quidem ita afficiuntur, ut etiam alia quæuis pars corporis natura enim uenis quibuſdam conſtant. Itaq; in morbis qui menſtrui dicuntur, propter motum inflammationemq; ſanguinem imitantem, nobis quidem uiris in oculis diſtinctio, & nota minus illa quidem apparet, ſed ineſt tamen. Eadem eſt enim ſeminis muliebriumq; natura, quæ eadem cum aera inficiunt, eumq; aera qui ſpeculis adhæreſcit afficiunt, talemq; reddunt, qualis iam ipſe eſt: tum deniq; aer ſpeculi extremas partes inficit, non ſecus ac ueſtes, quarum ut quæque munda & nitida eſt maximè, ita facillimè ac celerrimè ſordibus inquinatur. Quicquid enim purum eſt, nitoreq; præſtat, id facile quicquid capit, declarat, & maximè minimam quanq; mutationem. Aes autem quoniam læue eſt, quemuis tactum & appulſum ſentit, declaratq; maximè. In quo aeris tactũ & impulſionẽ, quaſi deterſionẽ quandam & ablutionẽ intelligere debemus, quæ propter nitorẽ facilè appa ret, quãuis parua ſit. Nitor autẽ et læuitas cauſa eſt, cur ex nouis ſpeculis macula non facile elui poſſit.

Diffun-

Diffunditur enim in talibus & per profundũ, & in omnes partes: propter nitorem quidem, per profundum: propter læuitatem, undiq;. In ueteribus uerò non permanet, propterea quod macula non æquè imbibitur, & infunditur, ſed magis in ſummis eminentibusq; partibus. Ex quibus perſpicuum eſt, & motum à paruis etiam interuallis differẽtijsq;, atq; eum citò afferri, & ſenſum fieri: cernendiq; ſenſum non ſolum affici, uerum etiam contrà afficere. Hoc declarant & ea quæ in uinis atq; in unguentis contingũt: & oleum factitium, & uinum, quæ non ſolum corũ quæ infunduntur, aut admiſcentur, aut eorum quæ in propinquo naſcuntur, uerùm etiam eorum quæ uaſis propinqua & uicina ſunt, odores facile recipiunt. Sed ut ad primum propoſitum reuertamur, poſitum ſit unum, quod ex ijs quæ dicta ſunt intelligitur: ſenſum eorum quæ ſenſus mouentia ſunt, ijs etiam abſentibus, quæ extrinſecus ſenſui obijciũtur, remanere. illud etiam, nos facile decipi ſolere iudicio ſenſus, tum, cùm perturbationibus alij alijs impellimur. Veluti timidus, & ignauus, metu perculſus, & inſano amore affectus, amore, ita ut parua ſpecie ac ſimilitudime ductus, ille hoſtes, hic eũ quẽ amat, uidere uideatur: atq; id quo maiore perturbatione incitatus ſit, eo minore rei ſimilitudine obiecta fallitur. Eodemq; modo et iracũdia incitati homines, et omnibus cupiditatibus inflammati, facilè omnes decipi & captari ſolẽt: eoq; magis, quo maiore perturbationũ impetu incitantur. Itaq; ij qui febre iactantur, interdum in parietibus beſtiolas parua lineamentorum

quæ inducta ſunt ſimilitudine ducti, ineſſe exiſtimant: atq; hæc opinio ita eis cum ipſis perturbationibus creſcit, ut ſi non grauiter affictetur, id falſum eſſe non ignorent: ſin maior ſit & grauior morbus, ad eas etiam beſtiolas inuolent, totoq; impetu ferantur. Idq; fit propterea, quòd non eadem animi ui iudicent, ea pars quæ dominatur, & ea in qua uiſiones imprimuntur. Quod hinc ſciri poteſt, quia cum ſol pedalis uideatur, ſæpe aſſenſui aliquid aliud repugnat: & quadam digitorum in mouendo & tangendo uiciſſitudine unum duo uidentur, ſed tamen non duo eſſe concedimus. Verius enim aſpectus quàm tactus iudicium eſt. Quòd ſi ſolus nobis tactus datus eſſet, unum duo eſſe iudicaremus. fallimur autem, ac mentimur his in rebus: propterea quod non ſolum cum res quæ ſenſum mouet, pulſu agitatur, apparent nobis qualeſcunq; res: ſed etiã cùm ipſe ſenſus mouetur, præſertim ſi eodem modo, quo à re quæ ſenſui obijcitur, mouetur: ueluti terra nauigantibus moueri uidetur, quòd ab alio aſpectus mouetur.

Cap. 3. Ex quibus illud perſpici licet, non ſolum uigilantibus motus eos, qui & ab ijs quæ extrinſecus obiecta ſentiamus, & ab ijs quæ ex corpore eueniunt, gignantur, incidere: ſed etiam tum cùm affectio illa quam ſomnum uocamus, exiſtit, tumq; maximè oriũtur. Interdum enim, cum ſenſus intenti ſunt & occupati, unà cum mẽte expelluntur: obruunturq; ut paruus ignis à magno, ſic à magnis parui dolores ac uoluptates. Cùm autem nihil agunt & quieſcunt, etiã

exiguæ

exiguæ uidentur. Noctu uerò cùm languore corporis ſenſus confecti nihil agere poßint, quòd calor ex ſummis membris in intimas partes ſe regerit, ad ſenſus fontem & principium delabuntur, tumq; euidentiores fiunt omni perturbatione ſedata. Vt autem paruosq; in fluuijs uortices ferri, ſic quem motum in animo gigni cõtinenter exiſtimare debemus: ſæpe ſimiles, plerunq; uerò alias formas imitantes propter relationem. Itaq; poſt cibum, & admodum pueris, ut infantibus ſomnia non incidunt, propter eum calorem quẽ cibus gignit. Quocirca quemadmodum aquam aut alium humorem ſi quis uehementer bacillo commoueat, interdum nullum ſimulacrũ uidetur: interdum uidetur quidem, ſed omnino inflexũ, ac deforme, ut aliud atq; eſt uideatur: ſedata autem & tranquilla aqua, purum & illuſtre uidetur: ſic in ſomno uiſa & motuum reliquiæ quæ à ſenſibus eueniunt, nonnunquam à maiore quodam motu, quem dixi, omnino obruuntur. interdum uerò turbulenta quædam uiſa, & prodigioſa, nec ſomnia uidentur: ut furentibus, febre laborãtibus, & ebrijs. Hæ enim perturbationes: cum ſpiritus plenæ ſint, magnum & motum & tumultum afferunt. Cum uerò tranquillus eſt & ſecretus ſanguis in ijs animãtibus quæ ſanguinem habẽt, motus ſenſa quæ integra ſeruata ſunt à quoq; ſenſuum orta, quieta & ſedata ſomnia ita efficiunt, ut aliquid nobis appareat: uideamurq; ab ijs quidẽ quæ ab aſpectu delabũtur, uidere, ex ijs autem quæ ab auditu, audire. quod fit etiam in cæteris ſenſibus eodem modo. Quoniam

enim illinc ad principium motus peruenit, etiam uigilantes uidere, audire, ac ſenſu percipere uidentur: quodq́; aſpectus interdum moueri uidetur, cùm ut diximus, non moueatur, & tactus duos motus nunciat, unum duo uidetur. Principiũ enim unde unuſcuiuſq; ſenſus uis ducitur, planè affirmat: niſi aliud quod plus poßit, contradicat. Speciem igitur præbet omnino, ſed nõ omnino ac planè aſſenſu id quod uidetur approbatur: ſed ita deniq;, ſi eius partis quæ iudicando ualet, aſſenſus cohibeatur, uel ſuo pulſu minimè agitetur. Vt autem diximus, alios alia animi perturbatione facilè decipi captariq; ſolere, ſic dormientes ſomno, uel quòd uel ſenſuum pulſu & agitatione, uel alijs quæ ſenſibus accidũt, ita ut quod parua ſimilitudine ad aliud accedit, illud eſſe uideatur. Cum enim dormimus, defluente in principium ſuũ maxima ſanguinis copia, motus inſiti, alij delabi poſſunt, alij reipſa unà delabuntur. Ex quo fit, ut in aliquo motu motus alius appareat, quorum ſi hic effluat & euaneſcat, alius ei ſuccedit: eodemq́; modo inter ſe afficiuntur, ut ranæ, quæ cum formatæ concretæq́; ſunt, in aqua liquefacta arena extant, ſic ineſſe poſſunt: cum autem languet remittiturq́; id quod obſtat, tum deniq; agunt, & operantur, obliteratiq; ac deleti quodammodo in parua ſanguinis copia, qui in ſenſuum ſedibus ineſt, ita agitatione nos commouent, ut eam ſpeciem præbeant, quam ea quæ in nubibus apparent: quæ cum ad hominis & centaurorum figuram ſimilitudine accedant, citò euaneſcunt. quorum quicque eſt, ut dixi, quaſi reliquiæ

quiæ

quiæ eorum de quibus uigilãtes cogitauimus, aut egimus. ac cum uera ſpecies euanuit, uerè etiam dici poteſt, hoc tale eſſe, qualis ſit Coriſcus. Cùm autem ea pars cuius eſt proprium iudicium, ſentit, Coriſcum eſſe non aſſentitur, neq; præſcribit, ſed ex eo ad ueram illius Coriſci notionem peruenit. Cuius quidem etiam cum ſenſum habet, hoc ipſum iudicat, niſi à ſanguine omnino eius aſſenſus cohibeatur, & quaſi eius ſenſum non habeat: ſic à motibus ijs qui in ſenſuum ſedibus inhærent, agitatur, tumq; ſpecie ueri, id quod uerum eſt uidetur. Tantaq; ſomni uis eſt, ut id obſcurare & obruere uideatur. Vt igitur ſi quis oculis digitum obiectum eſſe ignoret, nõ ſolum apparet, ſed unum duo eſſe aſſentitur: ſi non ignoret, ſpeciem quidem uidet, non tamen aſſentitur: ſic in ſomno, ſi ſe dormire ſentiat, ſenſumq; habeat eius affectionis, quæ eius partis propria eſt, quæ ſenſum habeat, ſpecies quidẽ occurret, ſed tamen animi quædam pars ſpeciem Coriſci uerſari in animo aſſentietur, Coriſcum autem non eſſe id quod occurrat confitebitur. Plerumq; autem fit, ut dormiente aliquo, quædã animi eius pars id quod occurrat, ſomnũ eſſe approbet, cũ interim ſi ſe dormire ignoret, nihil uiſioni obſtet. Nos aũt id quod eſt dicere, motusq; eſſe quoſdam in ſenſuum ſedibus, ita deniq; perſpici poterit, ſi quis eò animum intendat, ut conetur recordari, quæ nobis uſuueniunt, & cum in diuerſas partes ferimur, & cum expergiſcimur. Fit enim interdum, ut quæ ſimulachra in ſomno cuipiam offerebantur, ea expergefactus motus animi qui in ſenſuum ſe-

dibus relicti eſſent comperiat: præſertim cum nonnullis pueris, & qui in omnem partem circunſpiciunt, ſpectra permulta ita moueri uideantur, ut plerunq; præ metu ſe occulant & abdant. Ex quibus *ominbus colligendũ eſt, ſomnium eſſe uiſionẽ quandam, atq; eam in ſomno exiſtere.* Quæ *enim ſpectra modò commemorauimus, nõ ſunt ſomnia, nec ſi quid aliud liberatis ſolutisq; ſomno ſenſibus occurrat: nec quicquid ſecundum quietem uidetur, id cõtinuò ſomnium eſt.* Primùm *enim ita accidit, ut nonnulli quadam ex parte ſenſum & ſonorum, & luminis, et ſaporum, & tactus, etſi leuiter & quaſi eminus habeant.* Iam *enim quidam qui dormientes leuiter aſpicibant, cum lucernæ lumen ſe uidiſſe leuiter per ſomnum exiſtimarent, experrecti ſtatim id lumen lucernæ quod reuera obiectum eſſet agnouerũt: & cum gallorum canumq; uocem leuiter audiunt, excitati ſomno, planè intellexerunt.* Nonnulli *uerò etiam rogati reſpondent, propterea quòd fieri poteſt, ut tum cùm planè uel uigilamus, uel dormimus, ſi alterum in nobis ineſt, alterum etiam nobis quodammodo conueniat, quorum neutrum ſomnium eſſe concedendum eſt: nec eas omnes notitias, quæ in ſomno ueræ nobis præter uiſa incidunt. Sed uiſio ea quæ ex ſenſuum pulſu & agitatione nobis dormientibus, qua ex parte dormimus, occurrit, id demum ſomnium eſt. Sunt enim quidam, quibus in uita ſomnium nullum uidere contigit.* Rarum *igitur hoc ipſum eſt, ſed tamen incidit, nonnullis quidem aſſiduè, aliquibus autẽ progredientibus corroboratisq;*

iam

iam ætatibus uſuuenit, cùm antea ſomnium nullum uidiſſent. Cauſa autem cur non incidant, in pueris perſpici uidetur poſt cibum: quorum qui ita à natura inſtituti ſunt, ut magna in eis exhalationum copia ad ſuperiorem locum & cerebrum feratur, aut rurſus deorſum miſſa magnis motibus omnia impleat, in eis conſentaneum eſt nullam animo uiſionem obijci. Corroborata autem ætate non eſt alienum ſi ſomina uideant, præſertim cum mutatione aliqua aut ætatis aut affectionis neceſſe ſit hàc ipſam repugnantiam conſequi.

ARISTOTELIS DE Diuinatione quæ in Somno exiſtit liber, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

DE diuinatione autem quæ in ſomnis oritur, euenireq́; à ſomnijs dicitur, hoc uerè dici poteſt, nec ea cõtemnere facile eſſe, nec eis fidem habere. Nam et omnes, uel pleroſq; aſſentiri ſomnia aliquam notam habere fidẽ facit, authoritatemq; habet, quaſi id exercitatione, experientiaq́; dicatur: & de quibuſdã in ſomnijs diuinationem eſſe, non eſt incredibile. Quadam enim ratione nititur. Itaque de alijs ſomniorum generibus exiſtimare licet eodem modo. At uerò nullam cauſam conſentaneam cernere, qua eueniat, id deniq; facit, ut eius nulla ſit auctoritas. Nam Deum eſſe qui ſomnia mittat, præter alia quæ à ratione aliena ſunt, etiam illud alienum eſt, & Dei maieſtate indignum, cum

illa

illa non optimis uiris, nec prudẽtiſſimis, ſed quibuſuis mittere. Sublata autem cauſa quæ à Deo *ducitur, alia conſentanea nulla uidebitur. Cauſam enim reperire, cur aliqui futura de ijs præſentiant, qui in colũnis* Herculis *aut in* Boryſthene *habitent, maius eſt, quàm quò noſtra ſapientia peruenire poſſit?* Igitur *ſomnia uel cauſa ſint neceſſe eſt, uel notæ rerum futurarum, uel euentus: idq; aut omnia, aut quædam eorum, aut unum tantummodo.* Cauſam *autem appello, ueluti luna cauſa eſt cur ſol deficiat, & labor febris cauſa eſt: nota autem & ſignum defectionis eſt, aſtri aduentus, linguæ uerò aſperitas febris: caſus autem, cùm aliquis ambulat, ſolis defectio.* Neq; *enim nota eſt hæc defectionis, neq; cauſa, nec ambulationis aut itineris defectio.* Itaq; *nihil eorum quæ caſu fortè, temerè eueniunt, ſemper aut plerunq; accidit.* Ita *fiet, ut ſomniorum partim cauſæ ſint, partim notæ, ut eorum quæ corporibus eueniũt.* Dicunt *enim clariſſimi etiam medici, obſeruanda eſſe ſomnia diligenter.* Quod *cum omnes qui arte quauis præditi ſunt, exiſtimare debent, tum uel maximè ij quibus aliquid propoſitum eſt ad cõſiderandum, quiq; philoſophantur.* Motus *enim qui interdiu exiſtunt, niſi permagni ſint & uehementes, à paruis qui uigilantibus incidunt, obſcurantur.* Quod *contrà fit in ſomno, in quo perexigui magni uidentur eſſe.* Idq; *ſæpenumero in ijs quæ dormientibus uſuueniunt, animaduerti licet.* Ii *enim & fulminaſſe, tonuiſſeq; putant, cùm ſoni exigui aures eorum pulſant ac feriũt, & mellis aliarumq; rerum dulcium ſe ſuccum percipere,*

pere,

pere, cum leniter pituita diffluit: & per ignem ambulare, magnoq́; calore affici, cum calor exiguus aliquam eorum partem occupat. Quæ quidem omnia cum excitati ſunt, ita ſe habere intelligunt. Ita fit, *ut quoniam omnium rerum parua ſunt initia, perſpicuum ſit morborum etiam eſſe, aliarumq́; rerum, quæ in corporibus poſteris tēporibus exiſtunt.* Ex *quo illud etiam perſpicuum eſt, neceſſe eſſe hæc ipſa à dormientibus magis animaduerti ac notari, quàm à uigilantibus. Quinetiam nō eſt abſurdum, nonnulla eorum quæ ſecundum quietem uidentur, cauſam eſſe ſuarum cuique actionum.* Vt *enim cum aliquid acturi ſumus, aut in opere occupati, aut etiam egimus quid, plerunq; in ſomnijs in eis rebus eſſe, & aliquid tale moliri uidemur: idq́; fit propterea, quòd uia quædam ab ijs initijs & cauſis quæ interdiu incidūt, præparatur: ſic rurſus neceſſe eſt, eos etiam motus qui ſecundum quietem eueniunt, ſæpe initium cauſamq́; dare ijs quæ interdiu geruntur, propterea quòd eorum etiam ratio & notitia nocturnis uiſis præmuniatur.* Atq; *hoc quidem modo quædam ſomnia & ſignificationes & cauſæ eſſe poſſunt.* Alia au*tem caſu fortè, temerè eueniunt: eaq́; maximè quæ longa ſerie altiusq́; repetuntur: & quorum in nobis cauſa non eſt, ſed de bello nauali, ijsq́; omnibus quæ magnis à nobis interuallis diſiuncta fiunt, uidentur.* Veriſimile *eſt enim in his rebus eodē nos modo affectos eſſe, quo eſt aliquis cum alicuius rei mentionem facit, & caſu euenit. Quid enim hoc etiam ſecūdum quietem prohibeat?* Atqui *hoc modo ueriſimile eſt,*

multa

multa eiuſmodi euenire. Vt igitur illic mentio huius rei nec cauſa eſt, nec ſignificatio euentus illius: ſic neq; ſomnium cur euaſerit, ei qui uiderit, nec cauſa eſt, nec ſignificatio, ſed caſus. Itaq; pleraq; ſomnia non eueniunt. Quæ enim caſu eueniunt, ea nec ſemper, nec plerunq; fiunt. Omninóq; ſomnia quoniam alijs etiam quibuſdam animantibus uidentur, à Deo non mittuntur, nec eo auctore ueniunt. Sunt tamen δαιμόνια. Siquidem natura δαιμονία, non diuina eſt. Idq; hinc ſciri poteſt, quòd ualde obſcuro loco nati homines futura longè antè proſpiciunt, & ſomniant, quaſi non à Deo ſomnia mittantur: ſed omnibus qui natura ſua loquaces ſunt & melancholici, uaria uiſa offeruntur. Quoniam autem multis uarijsq; motibus agitantur, rerum futurarum euenta conijciunt & aſſequuntur, ut nonnulli modò quæ diuidunt, auferunt. Vt enim dici ſolet, ſi multa iactes, aliud aliàs iacies. Quod etiam fit in ſomnijs. Nec uerò mirum uideri debet, ſi pleraq; ſomnia non eueniant, cum pleræq; etiam earum ſignificationum quæ à naturis cœleſtibus portenduntur, ad exitus non perducantur: quo in genere ſunt ea quæ ab aqua uentiſq; ſumuntur. Si qua enim uis alia ac maior oriatur, à qua originem erat res habitura, non datur ſignificatio: & pleraq; eorum quæ rectè agenda cenſuimus, à ualentioribus cauſis dirempta ſunt. Omnino enim non omne quod futurum fuit, euenit, neq; idem eſt τὸ ἐσόμενον, καὶ τὸ μέλλον, id eſt, quod erit & futurũ eſt. ſed tamen fatendum eſt & cauſas eſſe, quæ impedimento fue-

tò fuerint, quo minus abſoluta ſint: & has ipſas ſigni ficationes eſſe aliquarum rerum; quæ nõ euenerint. De *ijs autem ſomnijs quorum non ſunt eiuſmodi cauſæ, quas diximus, ſed diſiunctæ ſunt uel temporibus, uel locis, uel magnitudine, aut quæ nihil horum habent, ſed tamen cauſas in ſe eorum quibus uiſa ſunt ſomnia, non continent, in ijs certè caſus & fortuna dominantur.* Hoc *enim tale magis uidetur, quàm id quod uult* Democritus*, qui eorum cauſas facit imagines & fluxiones.* Vt *enim cum aliquis aquam aut aera pellit, id etiam aliud pellit: illoq; quieſcente, interdum ad quoddam tempus motus ille durat, eo qui mouerat, abſente: ſic nihil prohibet motum aliquem & ſenſum in animos ſomniantium obrepere, à quibus ille imagines & fluxiones efficit: & cum influunt, magis ſenſu percipi noctu, quòd cùm interdiu huc atq; illuc impelluntur, diſsipentur.* Magis *enim uacuũ eſt ac liberum cœlum ab omni motu et perturbatione, noctu: propterea quòd tranquilliores noctes ſunt, & quòd motus ipſi corpus ſenſu afficiunt magis ſecundum quietem, cùm dormientes paruos etiam motus & agitationes interiores facilius percipiant, quàm uigilantes.* Hi *autem motus uiſa obijciunt, ex quibus futura de rebus eius generis præſentiunt.* Ob *eamq; cauſam hi motus animi de fece uulgi hominibus, non ſapientiſsimo cuique incidũt.* Interdiu *enim ſapientibus etiam occurrerent, ſi uiſa* Deus *hominibus daret. quo quidẽ modo ueriſimile eſt uulgus futura prænoſcere: præſertim cum horum talium mens res curare nõ ſoleat,*

ſitq;

ſitq; quaſi libera & ſoluta curis omnibus: & impulſa, impellentis ratione agitatur. Quòd ſi qui furentes futura præſentiunt, motus ad naturam accommodati in cauſa ſunt, qui eos non offendunt, ſed ab eis auferuntur. Itaq; externorum & ignotorum ſenſu afficiuntur maximè. Nonnullis autem trãquilla ſomnia offeruntur, notiq; de notis & amicis aliqua præſentire ſolẽt: propterea quòd noti & amici alij alijs curæ ſunt. Vt enim cum procul abſunt, maximè alij alijs ſenſa ſua ſignificant & aperiunt, ſic eorum qui noti ſunt, ſenſus notiores. Melãcholici uerò propter animi impetum uehementiorem, ut eminus iaculantes, facile aſſequuntur & quod facile ac citò animũ mutant, id quod conſequens eſt, cernunt. Vt enim Philægidæ poemata, furentes ea quæ ſimili ſerie ordineq; continuantur, & dicunt & ſentiunt, ueluti Venerẽ: & ita deniq; principium repetunt. Et præterea propter animi impetum quo feruntur, motus eorum ab alio non excluditur. Is autem demum optimus ſomniorum coniector eſt, qui ſimilitudines rerum poteſt cognoſcere. Eſt enim cuiuſuis recta tranquillaq; ſomnia internoſcere: ſimilitudines autem dico, propterea quòd uiſa, quemadmodum iam dixi, ſimilia ferè ſunt ijs imaginibus quæ in aqua cernuntur. Illic autem ſi quædam ſit paulo maior perturbatio & impulſio, nullo modo ſpecies & imagines ad uerarum rerum ſimilitudinem accedũt. Accuratè uerò ſpecies rerum is demum internoſcere poteſt, qui celeritate quadã motuq; ingenij, ſenſu deprehendere atq; perſpicere poteſt diſſimiles atq; diſtortas imagines,

gines ſint'ne hominis, an equi, an quarumlibet aliarum rerũ. Atq; idem quodammodo, quod illic aqua, ſomnium poteſt, quandoquidem perturbationes recta tranquillaq; ſomnia excludunt. Ac quid ſomnus ſit, quid ſomnium, & quamobrem utrunq; eueniat, & præterea de diuinatione per ſomnium, diximus. Nunc de communi motu animantium dicendum eſt.

ARISTOTELIS DE motu animantium liber, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

DE motu animaliũ quicquid in quoque genere eorum cernatur, quæ illius differentiæ, quæq; cauſæ ſint eorum quæ ſigillatim eis conueniunt, alijs libris dicendum erit. Nunc autem quæ cauſa ſit communis, cur animalia quouis motu cieantur (alia enim animalia uolant, alia nant, quædam ingrediuntur, nonnulla mouentur alijs modis eiuſdem generis) uidendum eſt. Ac illud quidem, principium eſſe aliorum motuum id quod ſeipſum moueat, idq; ab omni motu eſſe liberum: & quod prius motum afferat, id non moueri aliunde oportere, antè expoſitum eſt, cum motus ſempiternus an eſſet, et ſi eſſet, quid'nã eſſet, explicaremus. Hoc autẽ non ſolũ ex definitione orationeq; generali intelligendum eſt, uerùm etiã ex ſingulis rebus et ijs quæ ſub ſenſum cadunt, ex quibus etiam generales definitiones exquirimus, & ad quas eas accommodari cenſemus oportere. In his enim animaduerti licet,

fieri non poſſe, ut re nulla quieſcente & ſtante motus conſequatur, ac primum in ipſis animãtibus. Si qua enim pars mouetur, aliquam quieſcere oportet: ob eamq́; cauſam flexus animalibus dati ſunt. Quaſi enim centro inflexionibus utũtur, efficiturq́; totum membrum, in quo eſt inflexio, & unum & duo, & rectum & inflexum: facitq́; flexus ut uim ſe mouendi habeat, atq; reipſa moueatur. Cùm autem inflectitur ac mouetur, nota quidem in flexibus mouetur: aliud uerò quieſcit: non ſecus ac ſi diametri partes A *et* D *quieſcant,* B *uerò moueatur, &* A C *fiat. Sed hic totum centrum omnino indiuiduum uidetur, motum enim, ut aiunt, in his ipſis fingunt, cum nihil eorum quæ mathematici tractant, mouetur. Quæ autem in flexibus commiſſuriſq́; reperiuntur, interdum unum, interdum duo & poſſunt eſſe, & reuera fiunt. Sed tamen principium motus, qua ex parte principium eſt, quieſcit, cùm pars inferior mouetur: ut cum mouetur brachium, gibber: cum autem totum membrum, humerus: & cum tibia, genu: cũ uerò totum crus, femur. Illud igitur perſpicuum eſt, unãquamq; rem in ſe habere oportere aliquid, quod quieſcat, unde principium motus proficiſcatur, & in quo offirmata & tota coaceruata & ex parte mouebitur: quæ tamen quies per ſe irrita ſit futura, niſi ſit extra quippiam, quod planè quieſcat, ab omniq́; motu ſit liberũ. Sed operæprecium eſt, diligentius de eo quod dictũ eſt, diſputare. Habet enim diſputationem, quæ non ſolum ad animalia, uerùm etiam ad huius uniuerſitatis motum conuerſionemq́; pertinet.*

pertinet. Vt enim in ea neceſſe eſt eſſe aliquid, quod aliunde nõ moueatur, ſi modò moueatur: ſic, ac multo etiam magis in animãtibus aliquid ſit extra oportet, quod nullo modo moueri poßit, & in quo fixo & firmo moueatur id quod mouetur. Si enim cedat ſemper, ut muribus qui ſub terra ſunt, uel ijs qui in arena iter faciunt, non progrediuntur: nec ingreſſus futurus eſt, niſi fixa terra ſtet: nec uolatus, nec piſcium progreſſus, niſi aer & mare contra fixa nitantur. Hoc *autem diuerſum ſit ab eo quod moueatur, neceſſe eſt: totumq́; à toto, idq́; quod ita immobile ſit, nullam partem eſſe oportet eius quod pulſu agitetur.* Aliter *enim non mouebitur.* Idq́; *intelligi poteſt, ex eo quod quæritur, quamobrem nauis extrinſecus, ſi quis remo malũ pellat, aut aliquã aliam partẽ facilè moueat: ſin in ipſa naui quiſpiã hoc conetur facere, nunquam mouere poßit, ſiue* Tityus *ſtet, ſiue* Aquilo *in interioribus nauis partibus, ſiue quis ſtet eo modo quem pictores faciunt.* Eum *enim ex ſe uentum emittere depingunt. Siue enim leniter uentum emittat, ſiue ita uehementer, ut uentum maximũ faciat, ſiue aliquid aliud ſit, quod proijciatur aut pellatur, neceſſe eſt hoc primum, ut in aliqua eius parte quæ quieſcat, fixus & hærens incitet: deinde rurſus hæc pars, aut ipſa, aut ea cuius illa eſt pars, in aliqua re extrinſecus hærẽs fixa permaneat. Is autem qui nauigiũ incitat, cùm in nauigio ipſe ſit, & ipſi nauigio innitatur, rectè nauigiũ non mouet nec impellit: propterea quòd neceſſe ſit id quo nitatur, fixũ permanere.* Ei *aũt accidit, ut idẽ ſit et quod*

quemadmodum ea etiam qua mouet id quod mouetur: eſtq́; neceſſariò proportio quædã ut cõtrariorũ motuum, ſic & ſtatuum. quorum omnium ij qui pares ſunt, cum alij ab alijs nihil patiãtur & accipiãt, maiore quadam ui quæ excellit, facilè uincuntur. Itaq; ſiue Atlas, *ſiue aliquid aliud eſt quòd ea quæ intus ſunt moueat, nihilo magis repugnandum eſt quieti, qua terra fixa permanet, aut certè de medio ſuoq́; loco terra tolletur. Vt enim id quod motum affert, pellit: ſic id cui motus affertur, impellitur. Quod idem de ui iudicandum eſt. Mouet autem primum id quod quieſcit, ita ut maior & amplior uis ſit, quàm ſimilis & par quietis. Eodemq́; modo uis eius quod mouetur, nec mouet. Tantam autem uim eſſe terræ oportebit in quieſcendo, quantam totum cœlũ, atq; id quod ipſum motu agitat, obtinet. Quod ſi fieri non poteſt, illud etiam fieri non poteſt, ut cœlum moueatur ab aliqua re earum quæ in eo incluſæ ſint. Exiſtit autem quædã de motibus cœli partiũ quæſtio, quam ut ſuperioribus finitimam quiſpiam tractãdam, conſiderandamq́; ſuſcipiat. Si quis enim ui mouendi terræ quietem ſtatumq́; ſuperet, non eſt id quidem dubium, quin eam ſuo loco ac medio ſit moturus. Atq; illud etiam perſpicuum eſt, uim eam à quo uis hæc profecta ſit, non eſſe infinitam & interminatam: quippe cùm ne terra quidem infinitæ ſit magnitudinis. Ex quo fit, ut ne eius quidem grauitas. Quoniam autem quod fieri non poteſt, multis modis dicitur, (neque enim eodem modo & uocem, & eos qui ſupra Lunam ſunt, cerni non poſſe dicimus,*

cimus: nã illa neceſſariò nõ uidebitur, et hi nõ ſoliti ſunt uideri natura) cœlum & occidere & dirimi non poſſe, neceſſariò quidem exiſtimamus: ſed non neceſſariò, ex hac ratione efficitur. Natura *enim eſt & poteſt eſſe, motus maior, & quo terra quieſcit, et quo ignis ſuperaq́; corpora cientur. Ac ſi motus ſuperiores maioresq́; ſunt, hæc omnia alia ab alijs uiciſſim dirimentur. Sin autem non ſunt, & eſſe poſſunt, (infinitas enim non poteſt eſſe, propterea quòd ne corpus quidem infinitum & immenſum eſſe poteſt) certè cœlum diſſolui ac dirimi poterit.* Quid *enim hoc euenire prohibebit: ſi quidem in ijs non eſt, quæ fieri non poſſunt? in ijs autem non eſt, quæ fieri non poſſunt, ſi neceſſarium non eſt contrarium. Sed de hac quæſtione alius erit ad diſputandum locus.* Nunc *autem quærendum eſt, utrum oporteat nec ne aliquid eſſe ab omni motu liberum, quod & ſeparatũ ſit ab eo quod moueatur, & pars illius nulla ſit: atq; id an in hac uniuerſitate ita eſſe ſit neceſſe: fortaſſis enim alienum hoc eſſe uidebitur, ſi motus principium interius eſſe ponatur.* Itaq; *ijs qui in ea ſententia ſunt, rectè hoc ab* Homero *dictum eſſe uidebitur:*

Sed nunquam in terras ſummo deducere cœlo
Excel*ſumq́;* Iou*em uobis, doctumq́; licebit,*
Dij*q́; deæq́; omnes, labor haud uos iuuerit ullus.*

Atq; illud quidem quod omnino eſt immobile, à re nulla commoueri poteſt. Hinc *explicatur ea quæ dò poſita eſt quæſtio, utrum poſſit, nec ne, cœli conglutinatio diſſolui, ſi ex principio, quod motus ex-*

per

pers ſit, cōnſtitit. In *animantibus autem non ſolum id quod ita eſt immobile, ineſſe debet, ſed in ijs etiam quæ loco mouentur, ſi qua ipſa ſibi motum afferant.* Eorum *enim aliquid moueri oportet, aliquid ſtare ac quieſcere: in quo hærens ac fixum, id quod mouetur, pulſu agitabitur: ueluti ſi qua pars motu cieat, altera innitatur neceſſe eſt, quòd altera adhæreſcat.* De *inanimis autem quæ motu cientur, quæri poteſt, an omnia in ſe ipſa habeant, & id quod quieſcat, & id quod moueat: & utrum hæc etiam neceſſe ſit in aliquo eorum quæ extrà ſunt, ac quieſcūt, fixa permanere: an id fieri non poſſit, ut in igne aut terra, aut in aliqua re earum quæ inanimatæ ſunt quidē, ſed à quibus primò hæc ipſa moueantur.* Q*uæ enim inanima ſunt, aliunde omnia mouentur.* Principium *autem & fons eorum omnium quæ ita mouentur, ea ſunt quæ ſeipſa mouent.* Ac *de his quidem talibus, quod ad animalia attinet, iam diximus.* Omnia *enim eius generis neceſſe eſt & in ſe habere id quod quieſcat, & extrà aliquid in quo hæreant.* An *uerò aliquid ſit in cœlo, quod etiam primò motum afferat, incertum eſt, & principij eiuſmodi alia eſt ratio.* Omnia *autem animalia quæ motu cientur, in ijs quæ extrà ſunt, fixa mouentur, & cum reſpirant, expirant.* Neq; *enim refert, magnámne uim educant, an paruam: id quod conſputantes tußientesq́; faciunt, & ij qui edunt ſpiritum.* V*trum autem in eo quod ſeipſum loco mouet, ſolo aliquid ſtare ac quieſcere oporteat, an etiam in eo quod per ſe cōmutatur atq; augeſcit, quæſtio eſt.* Nam *primi*

ortus & interitus alia eſt ratio. Si enim eſt ea quam ponimus ortus, interitusq; motio, ea ipſa cauſa erit etiam cæterorum fortaſſe motuum omnium. Quemadmodum autem in uniuerſo, ſic in animantibus motus hic primus eſt, cum omnibus ſuis iam partibus & numeris perfecta abſolutaq; ſunt, ut etiam acceſſionis ſi quando fiat in poſterum, & immutationis ipſa ſibi cauſa ſint: ſin minus, non eſt neceſſe. Prima *autem incrementa, primæq; immutationes & ab alio, & per alia proficiſcuntur.* At *uerò ortus atque interitus nihil ipſum ſibi cauſa eſſe ullo modo poteſt.* Nam *& id quod mouet, ei quod mouetur, & quod gignit, ei quod gignitur antecedere oportet, cùm nihil ſe ipſo ſit antiquius.* Ac *de animo quidem, utrũ moueatur, néc ne, & ſi mouetur, quomodo moueatur, antè dictum eſt in ijs quæ de illo explicauimus.* Quoniam *autem inanima omnia ab alio mouentur, id quidem quod primum mouetur, & ſemper mouetur, quonam modo moueatur, & quemadmodum motum afferat cæteris id quod primò mouet, antè in libris de* Prima *philoſophia expoſitum eſt.* Reſtat, *ut quo modo animus corpus moueat, & quod animantiũ motus principiũ ſit uideamus.* Cæteris *enim præter uniuerſi motum, animatæ res cauſam mouendi dant & afferunt, quæ quidem aliæ ab alijs non moueantur, quòd aliæ alias impellant.* Itaq; *finem terminumq; earum omnes motiones habent, quippe cũ etiam rerũ animatarum motus fines ſibi propoſitos habeãt.* Nam *cũ animantia omnia ob aliquã cauſam & moueant & mouẽtur, fit ut in eo*

quò

quò ſuos motus appetitusq́; referunt, extremũ appetendi & mouendi conſtituant. Videmus autẽ *rationẽ, uiſionem, cõſilium, uoluntatẽ* et *cupiditatem animalia impellere, quæ quidem omnia ad mentem appetitumq́; referuntur.* Nam *uiſio & ſenſus eundem, quem mens, locum obtinent, quippe cum omnia pertineant ad iudicandum.* Quanquam *inter ea diſtinctio ac diſsimilitudo eſt quadam, quam alio loco explicauimus.* Voluntas *autem, ira & cupiditas, quidam ſunt appetitus.* Conſilium *uerò cùm rationis et appetitus communis ſit, fit ut id etiam quod ſub conſilium cadit, eódem pertineat.* Non *omne autẽ quod ratione, conſilio etiam iudicioq́; ſuſcipitur: ſed id demum, quod rerum agendarum extremum eſt.* Itaq; *quod eiuſmodi eſt, id unum bonorum ad agendum impellit, non etiam omne quod eſt honeſtum.* Quæ *enim ex parte aliud ad hoc quaſi extremum refertur, & quatenus finis eſt aliorum quæ alicuius gratia ſunt, eatenus ad agendum impellit.* Ponendum *eſt autem, id quod bonum uidetur, boni locum obtinere: & quod iucundum eſt, quoniam boni ſpeciem gerit.* Ex *quo perſpicuum eſt, eſſe quatenus ſimiliter moueatur, id quod ſempiterno motu cietur, ab eo quod ſemper impellit, et unumquodq; animantium: eſſe etiam quatenus aliter.* Quocirca *alia ſemper mouentur, animalium autem motus terminum finemq́; habet.* Quod *autem ſempiternum eſt, id honeſtum ac pulchrum eſt: & quod uerè ac prius bonum eſt, & non aliàs eſt, aliàs non eſt, id non diuinius, nec in maiore precio & honore eſt, quàm quod prius ſit,*

& antiquius. Ac primum quidem eiuſmodi eſt, ut moueat, & impellat, cum ab omni motu ſit liberum. Appetitus autem, et quod ſub appetitum cadit, cùm motu cietur, impellit ad agendum. Ab ultimo uerò eorum quæ mouentur, nõ neceſſe eſt quicquam moueri. Ex quibus illud etiam perſpicuum eſt, mutationem loci rectè extremum eſſe eorum motuum, qui in ea quæ gignuntur, cadunt: præſertim cum moueãtur loco, et ingrediantur animãtia duce ſuo quodq; appetitu, aut uiſione, cùm aliquo in ſenſu aut uiſione facta mutatio eſt. Quî ergo fit, quærat aliquis, ut qui mẽte animoq; aliquid complectitur, interdum agat, interdum non agat? & modò impellatur, modò non impellatur ad agendum? Quod itẽ accidere & uſuuenire ijs uidetur, qui etiam de rebus ab omni motu liberis aliquid mente & ratione cõcludunt. Sed hoc intereſt, quòd illic perceptum & cognitio finis eſt, (cum enim duas propoſitiones animo ac mente comprehendit, concluſionem etiam comprehendit & cõpoſuit) hic uerò ex duabus propoſitionibus concluſio quæ ad agendum pertinet, efficitur: ueluti cum quis animo concipit, omni homini eſſe ambulandũ, & ipſe homo eſt, ambulat ſtatim. Si uerò cenſeat, nemini homini nunc ambulandum eſſe, & idem homo ſit, ſtatim quieſcit: atq; hæc duo facit, niſi quid obſtet, & uim inferat. Agendum mihi eſt bonum, domus autem bona commodaq; eſt, ſtatim domum conſtruit & ædificat. Veſtis autem integumentum eſt: ueſte careo: quo careo, id faciendum eſt: ueſte autem careo, ueſtis igitur facienda eſt. & concluſio hæc:

Veſtis

Veſtis facienda eſt, ad agendum pertinet. Agendi autem principium ab initio ducit, etſi ueſtis ſit futura: quod primum eſt, neceſſe eſt eſſe: quod ſi ſit, id etiam ſtatim facit. Illud ergo perſpicuum eſt, concluſionem ad agendum pertinere. Propoſitiones autem quæ ad agendum ualent, ex duobus generibus conficiuntur, ex bono, & ex eo quod fieri poteſt. Vt autem nonnulli eorum qui rogata ponunt, ſic mens quæ præeſt & imperat, alteram propoſitionem quæ perſpicua claraq́; eſt, non conſiderat: ut ſi ambulare homini utile eſt, an ſit ipſe homo non laborat. Itaq; cætera omnia quæ ratione non ſubducta gerimus, citò agimus. Cum enim uel ſenſum ad finem propoſitum nobis adhibemus, uel uiſio, uel mens noſtra in eo cuius cupiditate ducimur, occupata eſt, ſtatim res ſequitur. Nam interrogationis aut cognitionis locum appetitus actio obtinet. Appetitus mihi bibendum eſſe cenſet: hoc autem in poculentis eſſe uel ſenſus admonuit, uel uiſio, uel mens: ſtatim ſequitur actio. Atq; hoc quidem modo animantes ad mouendum & ad agendum impellũtur, ut extrema cauſa mouendi ſit appetitus, qui impulſus eſt uel à ſenſu, uel à uiſis, & animi notitia. Eorum autem quæ gerere cupimus, partim cupiditate & ira, partim appetitu ac uoluntate ducti, alia facimus, alia agimus. Quemadmodũ opera quæ ſua ſpõte incitãtur, mouẽtur paruo impulſu, ſolutis laxatiſq́; compagimibus, alijs alias protrudẽtibus: & paruus currus, qui impellitur, ipſe ſtatim mouet, & rurſus in orbem incitatur, quòd impares rotas habeat: minor enim cẽtri

inſtar obtinet, quemadmodũ in cylindris: ſic animalia mouẽtur. Habent enim inſtrumenta eiuſmodi neruorũ oßiũq; naturã. Oßa enim ſunt, ut illic ligna & ferrum: nerui aũt rotarũ locum tenent, quibus laxatis ac remißis, mouẽtur. Ac in operib. quidẽ quæ per ſe mouẽtur, & curribus nõ eſt cõmutatio. quãdo quidem ſi minores interiores rotæ efficerẽtur, et rurſus maiores, in orbẽ etiam idem incitaretur. In animantib. aũt idem amplificari & imminui poteſt, figuræq; ac formæ mẽbrorũ mutari, cũ partes calore augẽtur, ac rurſum frigore cõtrahuntur, & immutantur. Immutãt aũt uiſa, ſenſus & notitiæ rerũ. Senſus enim ſtatim quædã ſunt cõmutationes. Viſa uerò & notiones uim rerum obtinẽt. Species enim et imago caloris ac frigoris, iucundæ rei & horribilis, quæ in animo obuerſatur, talis eſt, qualis unaquæq; res. Itaq; horrore quodam & metu afficiũtur: ij qui eas res ſola animi cogitatione cõplectuntur, quæ quidẽ omnia affectiones ſunt & cõmutationes. Cùm aũt in corpore aliqua cõmutamur, partim maiora, partim minora fiunt. Nec uerò dubium eſt, quin parua mutatio ſi ab initio fiat, magnas & multas mutationes afferat: ut ſi quid in clauo intempeſtiuè & importunè commutetur, magna in prora ſequitur mutatio. Quod idem calore fit, aut frigore, aut alia affectione generis eiuſdem. Cum enim fit in corde cõmutatio, etiam ſi in eius parte quæ ſub ſenſum propter paruitatem nõ cadit, exiſtat, tamen magnã facit in corpore & ruboris & palloris, & horroris & tremoris, horumq; contrariorum dißimilitudinem.

nem. Ergo principium, ut dictum eſt, motus ab eo ducitur, quod in rebus agendis perſequendum eſt, atq; fugiendum. Quorum quidem notitiam & uiſionem, neceſſariò calor & frigus ſequitur. Quod enim dolorem affert, declinandũ eſt: quod autem uoluptatem, expetẽdum: ſed in paruis rebus hoc ſi contingat, percipi non poteſt. Ea autem quæ dolorem et uoluptatem pariunt, omnia ferè cum frigore quodam ſunt & calore coniuncta: idq; ex affectionibus perturbationibusq; perſpici licet. Spes enim, metus, concubitus, cæteræq; res aſperæ & iucundæ, quæ ad corpus pertinent, aliæ certam partem calore & frigore afficiunt, aliæ totum corpus. Recordationes uerò & expectationes, cum hæc ipſa quaſi ſimulacra quædam adhibent, aliàs minorem, aliàs maiorem ad hæc efficienda materiam cauſamq; afferunt: ut rectè iam effici uideantur ea quæ intimo corpore continentur, cum etiam in principijs partium, quæ inſtrumentorum uim habent, ex concretione in liquorem & humorem, in concretionem ex humore uertuntur, molliaq; & dura uiciſſim alia ex alijs commutantur & oriuntur. Quæ cum hoc modo fiunt, & præterea cum id quod efficiendi, & id quod patiendi uim habet, eam naturã uimq; habeant, quam ſæpenumero diximus, cum ita accidit, ut ſit id quod uim habet efficiendi, & alterum quod ferendi, & quaſi accipiendi: nec ipſa utrunq; eorum quæ in ratione uigent, deſiderãt, tum ſtatim illud facit, hoc accipit. Ob eamq; cauſam ſimulatq; intelligit eundũ eſſe, etiã proficiſcitur, ni

ſi ali

ſi aliquid ſit aliud quod impediat. Ac mēbra quæ & quæ ad ingrediendum data ſunt, affectiones ipſæ animiq́; ſenſa cōparant: animi autē ſenſa et affectiones appetitus, appetitum uiſio, quæ uel à notione, uel à ſenſu proficiſcitur. Simulq́; & citò ab eo quod uim efficiendi habet, id etiam quod patiendi, cōparatur, in ijs quidē quæ natura duce alia ad alia referrūtur. Quod autem motum affert, ac primum animal, id in aliquo principio ſit neceſſe eſt. Flexum porrò unius principium eſſe alterius extremum finemq́;, diximus. Itaq; eo interdum natura pro uno, interdum pro duobus utitur. Cū enim illinc mouetur, neceſſe eſt unum ſignorum extremorum quieſcere, alterum moueri: quippe cum antea docuerimus, id quod motum afferat, in aliquo quod quieſcat, niti & fulciri oportere. Mouetur ergo, et nō mouet, extrema pars brachij. Flexus autem eius qui in gibbere ineſt, id quidem mouetur, quod in eo eſt quod totum mouetur: ſed aliquid etiam neceſſe eſt eſſe, quod ab omni motu ſit liberum, quod quidem ſignum unum poſſe eſſe dicimus, cùm reipſa duo fiat. Ita ſi animal brachiū eſſet, in eius parte aliqua animus eſſet, qui motum afferret. Quoniam autem fieri poteſt, ut aliquid eorum quæ animo carent, eandem rationem ad manum habeat, ut ſi in manu bacillum moueat: certè animus in neutro extremorum eſſe ullo modo poteſt, nec in extremo eius quod mouetur, nec in altero principio. Nam quoniā lignū cum animo cōparatū & principij & finis locum obtinet, propterea efficitur, ſi in bacillo non inſit principium quod uim

mouen-

mouendi ab animo habeat, ne in manu quidem eſſe. Eandem enim rationem *extrema pars manus ad carpum habet, quã hæc ipſa pars ad gibberẽ.* Nihil enim *ea quæ cõnexa uinctaq́; ſunt, ab ijs quæ nõ ſunt, differunt: quandoquidem bacillum, pro parte quæ detracta eſt, accipitur.* In *nullo igitur ſit principio neceſſe eſt, quod eſt alterius finis & extremũ: etiam ſi nihil ſit aliud quod ſit, quàm illud exterius.* Veluti *extremæ bacilli partis in manu principiũ eſt, & huius in carpo.* Quòd *ſi in manu non eſt, quod ſuperius ſit etiã principiũ, ne hic quidẽ erit.* Cũ *enim totus etiã gibber quieſcit, omne quod deorſum cohæret, mouetur.* Quoniã *aũt nihil intereſt, à læua, an à dextra motus incipiat, etiã ſimul cõtraria mouẽtur, ut quod dextra pars quieſcat, nõ poßit læua moueri, nec cõtrà.* Quoniãq́; *in ſuperiore utriuſq; principiũ ſitũ eſt, animũ ſit principium neceſſe eſt in medio qui motũ afferat, utriuſq; enim extremi mediũ extremũ eſt.* Quod *etiã ita eſt in motibus, & ijs qui à partibus ſuperioribus, & ijs qui ab inferioribus oriuntur ac fluunt: ueluti ij qui à capite, & ij qui à tergo & ſpina fluũt, in ijs animantibus quæ tergum habent.* Idq́; *non ſine cauſa & ratione contigit.* Hic *enim ſedem ſenſus eſſe dicimus.* Ita *fit, ut cùm locus is qui principium continet, à ſenſu commutatur, & mutatur: eæ etiam partes quæ cohærent, unà mutentur, & dilatatione amplificationeq́; partium, & contractione: ut neceſſe ſit, hinc ſenſus oriri animantibus.* Pars *autem corporis media, per ſe quidem ac ui naturaq́; ſua, una eſt: re autem ipſa ne-*

ceſſariò duplex efficitur. Etenim *ſimul à principio mēbra mouentur: quorum cùm unum quieſcit, alterū motu cietur, ut in* A B C, B *mouetur, et* A *mouet.* Atqui *aliquid quieſcat oportet, ſi futurum eſt, ut unum moueatur, & alterum motum afferat.* Vnum *igitur, cùm* A *ſit natura, uiq; ſua, reipſa & officio duo erit.* Quocirca *ſit neceſſe eſt non punctum, ſed magnitudo quædam.* Atqui *fieri poteſt, ut* C *unà cum* A *moueatur.* Ita *neceſſe eſt utrunq; principium, ea quæ in* A *mouentur, mouere.* Sit *igitur oportet aliquid aliud præterea quod motum afferat, neq; moueatur: fixa enim permanent extrema & prima, quæ in* A *alia ab alijs mouentur: ut ſi qui tergis offirmatis, crura commoueant.* At *neceſſe eſt eſſe aliquid quod utrique motum afferat.* Id *autem eſt animus: qui quidem ab eiuſmodi magnitudine differt, & ineſt in ea.* Ac *ea quidem ratione & definitone, qua motus cauſa explicatur, mediū eſt appetitus, qui ei motū affert quod mouetur.* In *ijs autem naturis, quæ inanimæ ſunt, aliquod eiuſmodi corpus eſſe debet.* Ac *illud quidē quod mouetur, ſed eā uim habet ut moueat, uim alienā accipere et quaſi pati poteſt.* Quod *aūt motum affert, id uim quandam habeat neceſſe eſt.* Omnia *autem animantia, & ſpiritum habere innatum uidentur, & eo ualere.* In *alijs quidem libris quo nam pacto innatus ſpiritus conſeruari poßit, diximus.* Is *autem ad principium, quod animus eſt, eandem rationem habet, quā ſignum quod in flexibus mouet, & mouetur, ad id habet, quod motus omnis eſt expers.* Quoniam *autem*

tem principium in alijs in corde ſitum eſt, in alijs in aliquo rationis eiuſdē, ob eā cauſam ſpiritus etiā innatus hîc habere ſedē uidetur. Ac ſpiritus quidem utrum idem eſt ſemper, an alius atq; alius ſemper oritur, alia ſit diſputatio. Eadem enim etiam de alijs partibus inſtitui poteſt. Videtur autem ita à natura inſtitutus eſſe, ut uim mouendi habeat, & uim afferat. Motus uerò munera duo ſunt, pulſus & tractus. Quo fit, ut inſtrumentum eam uim habeat, ut & amplificari poſſit & contrahi, cuiuſmodi natura eſt ſpiritus. Nam & cùm ſine ui contrahitur, ad trahendum, & cum uis ei affertur, ad pellendum ualet: ob eamq; cauſam & grauitatem pondusq; affert ad ea quæ ignem imitantur, & leuitatem ad contraria. Quod autem mouere debet, id uim eam habere non oportet commutatione. Corpora enim quæ natura conſtant præſtantia quadam, ita alia ab alijs ſuperantur, ut & id quod leue eſt, deorſum ab eo quod grauius, & quod graue, ſurſum ab eo quod leuius eſt, cedēdo pellatur. Ac quæ pars ſit, qua cum mouetur ipſa, animus mouet, quāq; ob cauſam, diximus. Hoc autem intelligendum eſt, animal ita inſtitutū cōpoſitumq; eſſe, ut eſt reſpublica, quæ bonis legibus gubernetur. Nam ut in repub. cùm ſemel ordo conſtitutus eſt, nihil eorū quæ adeſſe oportet in quoq; eorū quæ geruntur, ſeparato & abſente principe, deſideratur: ſed ſuum quiſq; munus exequitur, ut præſcriptum eſt, omniaq; ſuo ordine propter conſuetudinem gerūtur: ſic in animalibus hoc ipſum natura duce efficitur, & quòd omnia cùm ita

compoſita ſunt, ſolent ſuo quodq; officio fungi. Itaq; non eſt neceſſe in quoq; membro ineſſe animũ: ſed quia in quodam corporis principio eſt, cætera ui uunt neceſſariò, quòd cohærent, ſuis autem muneribus natura duce funguntur. Ac *quo quidem modo uoluntarijs impulſionibus animantia moueãtur, quibusq; de cauſis, dictum eſt. Aliquibus autem etiam inuita in quibuſdam partibus permouentur, plurimis uerò non uoluntarijs.* Dico *autem, animalibus inuitis motus oriri: ut eum qui à corde, & eum qui à pudendis partibus proficiſcũtur.* Plerunq; *enim ſi quid apparuerit, aut uiſum ſit, quanquam mens ipſa non præſcribat & iubeat, tamẽ eæ partes permouentur.* Non *uoluntarios autem uoco, ut ſomnum & uigilias, ut reſpirationem, omnesq; qui ſunt eiuſdem generis.* Horum *enim nulli nec uiſio, nec appetitus planè imperat.* Sed *quoniam neceſſe eſt animalia ijs commutationibus uti quas affert natura: commutatis autem partibus, aliàs augeſcere, aliàs imminui: fit ut non iam moueantur, nec commutentur ijs uarietatibus quæ conſequi ſolent.* Cauſæ *autem motuum naturales, & quæ præter rationem exiſtunt motiones partium, quas commemorauimus, tum deniq; oriuntur, cum immutatio inciderit.* Nam *& mens, et pars ea in qua uiſa imprimuntur, quemadmodũ antè dictum eſt, cauſas efficientes perturbationum afferunt.* Imagines *enim efficientiam offerunt.* Hæ *autem partes maximè claras rerum, imagines obijciunt, propterea quòd utraque ſpeciem gerit animalis, quod ſeparatum eſt.* Idque *ob eam cauſam*

ſam ſit, quòd humorem uitalem habet. Ac *illud quidem perſpicuum eſt, cur ſenſuum fons & principium in corde ſit.* Partem *autem quæ ad procreandum ualet, eam uim habere, hinc intelligi poteſt, quòd ea uis ſeminis, quaſi animal quoddam erumpit.* Motus *autem & in principium à partibus, & in partes à principio non ſine cauſa influunt, alijq; ad alios ita perueniunt. principium enim* A *intelligere debemus.* Ita *motus per unumquodq; ſignorum quæ deſcripta ſunt, in principium delabuntur, & à principio quod mouetur, & mutatur, quoniam multa eſſe poteſt: principium quod* B *attribuimus, in* B*: principium autem* C, *in* C*: utriuſq; autem principiũ, ad utrũq;: à* B *aũt in* C. *quod autem à* B *ad* A, *ut ad principium uenit: ab* A *uerò ad* B, *ut à principio.* Præterea *interdum cùm hæc animo & cogitatione reputauimus, motus tamen is qui rationem ducem nõ ſequitur, in partibus oritur, interdũ non oritur.* Quod *ſit propterea, quòd aliàs materia, quæ uim accipiendi habet, ineſt: aliàs non tanta, uel talis, quanta uel qualis eſſe debet.* Ac *de partibus quidem uniuſcuiuſq; animãtis, et de animo, & præterea de ſenſu, de memoria, de ſomno, & de communi motu, diximus: cauſasq; omnium expoſuimus.* Reſtat, *ut de ortu dicamus.*

ARISTOTELIS DE diuturnitate & breuitate uitæ liber, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

CAuſæ quæ ſint, cur animalium alijs diuturnæ uitæ, alijs exiguæ uſura data ſit: & omnino quæ diuturnæ, quæ breuis uitæ cauſæ ſint, uidendũ eſt. cuius diſputationis initium neceſſarium primò à quæſtione, quæ de ijs inſtituitur, ducendum eſt. Neq; enim perſpicuũ eſt, utrum diſſimilis, an eadem cauſa ſit omnibus & animantibus, & ijs quæ oriuntur è terra: cur nonnulla diuturna uita, alia breui fruantur: præſertim cum eorũ quæ terra ex ſe fundit, partim annũ, partim diu uiuant. Illud etiam perſpicuum non eſt, utrum eorum quæ natura conglutinauit & conſtruxit, eadem diu uiuant, & natura ualeãt, an hæc ipſa ſeiuncta ſint, & quod breuis eſt uitæ, & quod in morbum procliue eſt: an in morbis quibuſdam corpora quæ natura in morbos procliuia ſunt, uiciſsitudine quadã ijs quæ breuis ſunt uitæ reſpondeant, in nonnullis uerò nihil prohibeat eos longa uita frui, qui morbis ſint obnoxij. Ac de ſomno quidem ac uigilijs antè diximus, de uita autem & morte pòſt diſſerendum erit, itemq; de morbo & ualetudine, quantum ad eam philoſophiæ partem pertinet, quæ in naturæ ratione uerſatur. Nunc cauſa quæ ſit cur alia diu, alia breui tempore uiuant, iam ut dixi, uidendum eſt. In quo etiam conſideranda erunt ea quæ hanc diſsimilitudinem habent, ſiue genere inter ſe differant, & uniuerſum

uerſum genus à toto genere, ſiue eidem ſpeciei ſubiectа ſint. & alia ab alijs hoc ipſo differant. Genere autem differre dico: ut inter hominem & equum intereſt, quòd hominum generi diuturniorem uitam, quàm equorum generi, natura largita eſt. Specie autem: ut homo ab homine differt, quòd alij homines diu uiuunt, alij minus, qui pro aliorum locorum temperatione differunt. Genera enim hominum, quæ loca calida incolunt, diutius uiuunt: quæ autem frigida, breuior eorum uita eſt. Atq; etiam in eorum qui eadem loca incolunt, nonnullis hæc ipſa diſsimilitudo reperitur. Intelligendum eſt autem, quid facilè conſumatur, & quid non facilè: in ijs quæ à natura iuncta ſunt. Ignis enim & aqua, quæq; cum his conſentiunt, cùm eandem uim non habeant, cauſæ ſunt alia alijs ortus & interitus. Itaq; conſentaneum eſt, unumquodq; etiam aliorum, quæ ex his ſunt & conſtant, naturam horum imitari, quæ quidem ex multorum compoſitione non ſint, ut domus eſt. Ac de alijs quidem diſputare, non eſt huius loci & temporis. Sunt enim multarum rerum proprij ac ſui interitus: ut ſcientiæ, ualetudinis, & morbi, quæ intereunt: atq; id non occidentibus, ſed ſaluis ijs in quibus inſunt: ueluti ignorationis interitus, recordatio eſt & doctrina: ſcientiæ, obliuio & captio. Conſequentia autem quadam fit, ut rebus à natura conglutinatis & iunctis occidētibus, aliarum etiam interitus ſequatur. Animantibus enim intereūtibus, & ſcientia quæ in eis eſt, & ualetudo, unà occidunt. Itaq; ex his quiſpiam de animo ratiocinari po-

 terit.

terit. Si enim eſt non natura, ſed ut ſciētia in animo, ſic animus in corpore eſt: ſit neceſſe eſt eius etiam alius interitus, præter eum quo interit unà cum corpore. Ita quoniam non uidetur talis, profectò alio modo ad corpus affectus eſt. Hoc autem rectè quærat aliquis, num id quod interire poteſt, aliquo loco interitus ſit expers: ueluti ignis in ſuperis, ubi nullum eſt contrarium. Ea enim quæ in contrarijs inſunt, conſequentia quadam & caſu intereunt, eo ipſo quòd illa occidāt. Cōtraria enim alia ab alijs cōficiūtur. Caſu autem nullum contrariorum quæ in eſſentijs inſunt, interit: propterea quòd de ſubiecto nullo eſſentia dicatur. Ita fieri non poteſt, ut id cui nihil cōtrariū eſt, & ubi nō eſt, intereat. Quid enim erit, quod ipſum interimat, cum à contrarijs modò cōfici poßit, quæ ei aut nulla ſunt omnino, aut certè in hoc loco? An aliqua ex parte hoc uerum eſt, alia non eſt? Fieri enim non poteſt, ut ei quod ex materia conſtat, non ſit quodam modo contrarium. Omnibus enim rebus calor, uel rectitudo conuenit: omnes autem uel calidæ, uel rectæ, uel candidæ eſſe non poſſunt. Sic enim affectiones ſeparatæ, ſeiunctæq; erunt. Quod ſi, cum primum eſt id quod uim efficiendi habet, & id quod accipiendi, ſemper illud agit, hoc patitur: fieri non poteſt, quin mutatio cōſequatur. Præterea neceſſe eſt aliquid redundare, id autem quod redundat contrarium eſt: ſemper enim ex contrario mutatio fit: & id quod redundat, prioris rei reliquiæ ſunt. Quòd ſi contrarium omne ui quadam reipſa adhibita expellitur, hoc etiam loco in-

eo interire non poterit:aut poteſt illud quidem,ſed ab eo quod ipſum continet,interimitur. Ac ſi hæc ex ijs quæ diximus intelligi poſſunt,poſita ſint. Sin mi nus,ponendum eſt, ſubeſſe reipſa aliquid contrariũ,reliquiasq; remanere. Itaq; minor flamma à maiore caſu conſumi ſolet, propterea quòd materiam quam illa longo tẽpore,fumo adhibito, maior flamma citò conſumit. Quocirca perpetuo motu agitantur, & oriuntur,uel intereunt. Quod autem aliud complexu continet,id uel in agendo adiuuat, uel contrà nititur:ob eamq; cauſam ea quæ transferuntur,mutantq; locum,ſi diu durabant,minus tum durant, quàm eorũ natura ferat: ſin æterna erant, etiam minus durant,dummodo eis data ſint contraria. Neq; enim ſtatim materia contrarium habet. Ita fit,ut ſi loci contrarium habeat,loco moueatur: ſi quantitatis,acceßione & deceßione:ſi perpeßionis,immutatur.

Nec uerò quo quicq; maius eſt, eo minus interire ſolet:equo enim breuior uita, quàm homini data eſt.nec contrà paruæ res diutius durãt:multæ enim beſtiolæ earum quæ inciſuras habent, annum tantum uiuunt.nec eorum quæ terra ex ſe fundit, ætas eſt,quàm hominum,planè longior:annum enim tantum uiuunt quædam eorum quæ oriuntur è terra. nec animãtia quæ ſanguinẽ habent:apes enim diuturnitate multa animantia quæ ſanguinem habent,uincunt: nec ea quæ ſanguine carent: ea enim quæ molli corio obducta ſunt, & ſanguinem non habent,annum uiuunt. nec eæ naturæ quæ in terra uerſantur: Cap. 2

nam & ea quæ ex terra gignuntur, & animantia terrena annum uiuunt: nec ea quæ in mari, eſt enim illic breuis uita eorum piſcium, & qui duro, & qui molli corio obducti ſunt. Omninoq́; longiſsima uita eſt eorum, primum quæ ex terra oriuntur, ut palmæ: deinde eorum animantium quæ ſanguinem habent, longior eſt, quàm eorum qu æcarent : & terrenorum, quàm aquatilium. Itaque ea in quibus hæc duo coniuncta reperiuntur, ut & ſanguinem habeant, & terrena ſint, ex animalibus uiuunt diutiſsimè: ut homo & elephas. Atq; etiam maiorum ferè, quàm minorum, lõgior eſt uita. Alijs enim etiã quæ diutiſsimè uiuunt, magnitudo data eſt: quemadmodum ijs etiam quæ commemorauimus. Cauſa autem quæ ſit horum omnium, hinc perſpici poteſt. Intelligendum eſt enim, animal humidum & calidum eſſe natura ſua, qualis etiam uita eſt. ſenectus autem frigida & ſicca, & quod mortuum eſt: ita enim uidetur. Materia autem corporum, in ijs quæ habent, hæc ſunt, calor, frigus, ſiccitas & humor. Hinc neceſſe eſt ea quæ ſeneſcant, exareſcere. Itaq; humorem neceſſe eſt eam uim habere, ut non facilè exiccetur: ob eamq́; cauſam pinguia cariem non ſentiunt. In cauſa eſt aer, qui cum alijs comparatus, ignis uim obtinet: ignis autem cariei incommoda non ſentit. Nec rurſus parua humoris copia eſſe debet: propterea quòd facilè id etiam quod exiguum eſt, exhauriri, exiccariq́; poteſt. Itaq; & animalibus, & ijs quæ ex terra gignuntur, quæ quidem magnitudine præſtanti ſint, ferè iam ut dixi, longior

gior uita data eſt: quippe cum hoc ſit cōſentaneum, ut eis maiorem humorū copiam natura largita ſit. Nec uerò ob eam ſolùm cauſam, eorum uita eſt longiſsima. Duæ enim cauſæ ſunt, & magnitudo & qualitas. Ita non ſolùm humoris, ſed caloris etiam copia eſſe debet, ut nec concreſcere, nec exareſcere facilè poſsit. Ob eamq; cauſam hominis uita longior eſt, quàm multorum, quæ eum magnitudine ſuperant. Diutius enim uiuunt ea, quæ humoris copia uincūtur: ſi maior in eis qualitatis ſit, quàm quantitatis in alijs præſtantia. Eſt autem in nonnullis calor pinguis, qui ſimul facit ut nec exiccari, nec refrigerari facilè poſsint: in alijs uerò alium ſuccum habet. Præterea id quod tale futurum eſt, ut non facilè intereat & occidat, reliquis abundare non debet. Quod enim eiuſmodi eſt, id uel morbo, uel natura interit. Vis enim eorum quæ redundant, & contraria naturæ eſt, & aliqua naturam, alia partem interimit natura ſua. Itaq; animantia ea quæ ad concubitum procliuia ſunt, magnaq; ſeminis copia abūdant, citò ad ſenectutem compelluntur: propterea quòd ſemen reliquiæ quædam eſt, & præterea cum emiſſum eſt, exiccat. Ob eamq; cauſam muli, quàm equi & aſini, à quibus generatus eſt, uita eſt longior: & fœminarum, quàm marium, ſi mares procliues ſint ad libidinē. Quo fit etiam, ut paſſeres mares breuiore tēpore uiuāt, quàm fœminæ. Præterea mares omnes, qui ad faciendum opus attentiores ſunt, labore citius compelluntur in ſenectutem. Labor enim exiccandi uim habet, & ſiccitas in ſenectute

dominatur. Natura autem maribus longiorem, quàm fœminis, uitam largita eſt: idq; fit propterea, quòd in maribus maior, quàm in fœminis, caloris eſt copia. Eadẽ uerò animantia quæ in calidis locis uerſantur, diutius uiuunt, quàm ea quæ in frigidis: ob eã ipſam cauſam, ob quam maiorũ uita eſt longior, maximeq; inſignis magnitudo eorũ animantiũ quæ frigida ſunt natura ſua. Itaq; et angues, & lacertæ, & beſtiæ quæ ſquammis obductæ ſunt, inuſitatæ ſunt magnitudinis, ijs in locis, quæ calore præſtant: & in mari rubro animalia quæ duro corio tecta ſunt. Nam & incrementi, & uitæ cauſa eſt calor is qui humoris eſt particeps. In locis autem quæ nimio frigore obrigeſcunt, quoniã humor is qui in animãtibus ineſt, nimium aquam imitatur, facilè cõcreſcit. Itaq; animalia quæ parum aut nihil ſanguinis habent, omnino in locis quæ ad ſeptentrionem pertinent, nulla naſcuntur: nec quæ ad paſtum gradiendo accedunt, in terra: nec aquatilia in mari. alia naſcuntur quidẽ, ſed minora ſunt, eorumq; breuior eſt uita. Tollit enim cumulum magnitudinis concretio: & ſi alimentũ non capiant, tam animalia quàm ſtirpes, intereunt. Se enim ipſa liquefaciunt, & conficiunt. Vt enim magna flãma paruã abſumit & conficit, eo ipſo quòd materiam conſumit: ſic naturalis & inſitus calor, cui primum concoquẽdi munus datum eſt, materiã in qua ineſt, conficit. Aquatilibus autem breuior, quàm terrenis animantibus, data eſt uita, non quòd humida planè ſunt, ſed quia aquæ humorẽ imitãtur, cuius generis humor facilè exhauritur,

ritur, propterea quòd frigidus eſt, & concretioni congelationi'que obnoxius. eaq; animantia quæ carent ſanguine, ob eandem cauſam: niſi ſe magnitudine tueantur. nam nec adipem habent, nec dulcedinem: cum in animantibus adeps cum dulcedine ſit coniunctus. Itaque apes diutius uiuunt, quàm alia animantia, quæ eas magnitudine corporis uincunt.

In ijs autem quæ oriuntur è terra, reperitur longiſſima uita, atq; longior quàm in animantibus: primùm quòd minus aquam imitantur, ob eamq; cauſam non facilè frigore obrigeſcunt: deinde quòd pingue quiddam & uiſcoſum habent: & quòd cum ſicca ſint, terrãq; imitentur, tamen humor quem habent, non facilè exareſcit. Diuturnitatis autem quæ in arboribus natura ineſt, cauſa intelligi debet. Eſt enim ea propria, ſi cum animalibus comparetur, præter ea quæ inciſuris conſtant. Semper enim renouantur ea quæ terra ex ſe fundit, ob eamq; cauſam in multa durant tempora. Quippe alijs germinibus ſeneſcentibus, alia renaſcuntur: itemq; radices, ſed non eodem tempore, uerùm cum truncus tantum & rami perierunt, alij adnaſcuntur. Cum uerò ita affectæ ſunt radices, aliæ ex eo quod ineſt, gignuntur: atq; perpetua eſt hæc & intereuntis & renaſcentis uiciſſitudo, ex quo diuturnitas in eis ſequitur. Videntur autem ea quæ è terra gignuntur, eas beſtiolas, iam ut dixi, quæ inciſuras habent, imitari: quippe cum diuiſa uiuãt, ex unoq; duo & multa fiãt. Sed beſtiolæ quæ inciſuris cõſtant, uiuũt illæ Cap. 3

quidem,

quidem, non tamen diu poſſunt: propterea quòd inſtrumenta non habent: nec principium, quod in eis ineſt, ea facere ullo modo poteſt. At uerò principiũ, *quod in ſtirpibus ineſt, poteſt: præſertim cum omni ex parte & radicem et truncum habere poßint. Itaq; ab hoc ſemper cum alterum ſeneſcit, alterum nouum erumpit: ut parum abſit, quin eorum quæ inſerimus, adæquent diuturnitatem.* Nam in *inſitione, hæc ipſa contingere quodam modo dici poſſunt, præſertim cùm pars ſit quædam ſurculus.* Ac in *inſitione quidem, ſeparatione & auulſione, hoc uſuuenit: illic autem, propter perpetuam ſucceßionem: idq́; fit propterea, quòd omnem in partem, principium, cuius uis inſita eſt, diffuſum ſit. Idem autem & in animalibus & in ſtirpibus contingit. Ferè enim mares in animantibus longiòre uita fruuntur, eorum'que ſuperiores partes ampliores ſunt, quàm contrariæ: mas enim nanos magis, quàm fœmina imitatur.* Atqui *in partibus ſuperioribus calor ineſt, & frigus in inferioribus. Stirpiũ etiam longior ætas earum eſt, quibus latiora amplioraq́; capita data ſunt: quo in genere ſunt, nõ eæ quæ annum tantùm uiuunt, ſed quæ arborum magnitudinem imitantur. In ſtirpibus enim radix pars eſt ſuperior, & capitis locum obtinet. Quæ autem annum uiuunt tantummodo, ea per inferiores partes & fructus & magnitudinis cumulum accipiunt. Sed de his per ſe ac propriè, in libris* De *ijs quæ oriũtur è terra, diſſeretur: hoc autem loco expoſita eſt cauſa longæ breuiſq́; uitæ animantium.* Reſtat, *ut*

nos

nos de iuuẽtute et ſenectute, uita & morte dicamus. His enim expoſitis, ratio & diſputatio quæ de animalibus inſtituitur, terminum habebit.

ARISTOTLIS DE Adoleſcentia & ſenectute, uita & morte liber, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

DE adoleſcentia & ſenectute, de uita & morte, hoc loco dicendũ eſt: & ſimul reſpirationis neceſſe erit fortaßis cauſas exponere, præſertim cùm ea ſit cauſa, cur quædam animalia uiuant, atq; non uiuãt. Quoniam autem de animo alijs libris diſputauimus, perſpicuumq́; eſt, fieri non poſſe, ut eius eſſentia ſit corpus: hoc etiam perſpicuum eſt, eius ſedem in aliqua parte eſſe corporis: atq; in quadam earum, quæ inter partes uim & principatum obtinent. Ac cæteræ quidem animi ſiue partes ſiue facultates, utrolibet nomine appellari debeãt, nunc prætermittẽdæ ſunt. Ex qua autem & animalia appellantur, & uiuere dicuntur, in ijs quidẽ quæ utrunq; horũ accepərũt, ut & animalia ſint & uiuant, eadem ſit, unaq́; pars neceſſe eſt, ex qua idem uiuat, animalq́; dicatur. Animal enim, qua ex parte animal eſt, non poteſt non uiuere. Qua autem ex parte uiuit, ex ea animal eſſe non neceſſe eſt: quippe cùm ea quæ oriuntur è terra, uiuant illa quidem, ſenſus autem ſint expertia. Senſu autem animal à non animali diſtinguimus. Numero igitur neceſſe eſt unam eſſe, eãdemq́; hanc partem: natura au

tem

tem et ratione duas atq; diuerſas. Neq; enim idē eſt, animal eſſe ac uiuere. Quoniā aūt ſenſuū qui proprij diſtinctiq; ſunt, unus eſt quidā ſenſus cōmunis, ad quem ſenſuū functiones ac munera reuocari, referriq; neceſſe eſt: is profectò inter partem eam quæ antè, & eam quæ ponè eſt, locabitur. Ea enim prior in nobis dicitur, in qua ineſt nobis ſenſus: poſterior autem, contraria. Præterea cum ita corpus diſtinctum ſit, eorum quidem omnium quæ uiuūt, ut alia pars ſuperior ſit, alia inferior (omnia enim ſuperiorē inferioremq; habent) fit, ut ea etiā quæ ex ſe fundit terra, in medio harū uim altricē habeāt. Qua enim ex parte ſuccus ingreditur & trahitur, eam ſuperiorem uocamus, eius rationem habentes, non totius quod continet: inferiorem autem eam qua reliquiæ cibi primæ depelluntur. Sed contrà hoc in ſtirpibus & animantibus contingit. Nam hominibus, quia erecti excelſiq; ſunt, hoc maximè ſolis ex animalibus dedit natura, ut caput ad ſuperiorem uniuerſitatis partem attollant, cùm cæteris in medio ſit. Ea autem quæ gignuntur è terra, quoniam moueri non poſſunt, ſuccumq; ex terra trahunt & alliciunt, neceſſariò hanc partem ſemper humi depreſſam habent. Eam enim rationem radix habet in ſtirpibus, quam os in hominibus habet, qua quidem parte ſtirpes ex terra ſuccum trahunt: homines uerò cibum capiūt ipſi per ſe ac opera ſua. Cūq; tres partes ſint, in quas omnia animantia, quæ ſuis omnibus partibus abſoluta perfectaq; ſunt, tribuuntur, una qua cibum capiunt, altera qua reliquias cibi depellunt,

tertia

tertia quæ his interiecta eſt: hæc ipſa in maximis animalibus pectus uocatur. in alijs aliquid eſt quod eius locũ obtinet: quæ eadẽ in alijs eſt, quàm in alijs, euidentior. Quæ aũt in his gradiendo ad paſtũ accedunt, eis etiam ad hæc obeunda munera partes datæ ſunt, quibus omnem molem corporis ferant, & ſuſtineant: ut crura, ut pedes, & quæ eandem uim habent. Sed animi, qua ex parte alendi uim habet, principium in trium partium medio ſitum eſſe, & ſenſu & ratione perſpicitur. Multa enim animantia, utraque parte detracta & præciſa, capite uidelicet, & ea quæ cibum capit, uiuunt cum ea parte quam mediam diximus. Quòd in ijs quæ inciſuris conſtant, ut in ueſpis & apibus animaduerti licet. Quinetiam multa eorũ quæ inciſuras non habent, cum diuiſa ſunt in partes, propter uim altricem poſſunt uiuere. Pars autem hæc reipſa una eſt, multæ autem eſſe poteſt. Eodem enim modo conſtat, quo in ſtirpibus, quæ & uiuunt per ſe, cum auulſæ ſunt, & multæ arbores ex uno principio naſcuntur. Cur autem eorum quæ gignuntur è terra, alia ſi ſeparentur, uiuere non poſſunt: alia autem auulſa inſeruntur, alio loco dicendum erit. Sed tamen ſimilis eſt, hac quidem in parte, & ſtirpium ratio, & eorum animantium quæ inciſuras habent. Atq; etiam animus altor in ijs quidem quæ eum habent, neceſſe eſt et unus ſit reipſa, & multorum uim in ſe contineat. Quod de principio etiam ſentiendi iudicandum eſt eodem modo: quippe cum eæ quæ diuiſæ auulſæq; ſunt partes, ſenſum habere uideãtur.

Sed

Sed hoc intereſt, quòd ea quæ oriuntur è terra, naturæ ſuæ cõſeruationem procurare poſſunt: ea autem animalia quæ inciſuras habent, nõ poſſunt: propterea quòd membra quæ conſeruationẽ ſui procurent, non habeãt: eorũq; õnnullis pars ea deſit quæ reliquias cibi depellat, alijs ea quæ cibum excipiat, quædam uerò & alias & utrãq; harum deſiderent. Hæc enim animalia multis animantibus quæ inter ſe cohærent, ſimilia ſunt. Quæ autem optimè à natura effecta ſunt, eis hoc minimè uſuuenit: propterea quòd eorum natura, quàm maximè fieri potuit, una & ſimplex eſt. Itaq; *animalia paruo ſenſu afficiũt quædã partes, cũ auulſæ ſunt, quòd ſenſum quendã animi propriũ obtinẽt.* Nam *cũ ilia ſeparãtur, quædam ſenſum faciũt: quẽadmodum etiam teſtudines, cum eis cor detractum eſt.* Hoc *etiam & in ſtirpibus & in animantibus perſpici licet: ſi quis in ijs quæ oriuntur è terra, ſeminum ortum, inſitionesq́; eorum & auulſiones conſideret. Seminum enim ortus, omnibus à medio proficiſcitur. nam cum duplex ſit quaſi porta omnium, qua ex parte coaluerunt, adhæreſcunt, & utriuſq; partis medium eſt.* Hinc *enim & truncus & radix prodit eorum quæ gignũtur è terrra.* Quod *aũt mediũ in ſe incluſum habẽt, id principiũ eſt. Idq́; in inſitionib. et in auulſionibus ad nodos et gẽmas cõtingit maximè.* Eſt *enim principium quoddam rami ac ſurculi, nodus, & medium.* Itaq; *aut hoc præcidunt & amputant, aut in hoc aliquid ingerunt, ut uel ramus ex eo, uel radix oriatur, quaſi principium trunci & radicis ex medio*

erum-

erumpat. in animantibus etiam quæ ſanguinem habent, cor primùm gignitur. Quod perſpicuũ eſt ex ijs quæ nos, quantum in ijs quæ nunc etiam gignuntur, cernere potuimus, inſpeximus. Itaq; in ijs etiam quæ ſanguine carent, aliquid primùm naſcatur neceſſe eſt, quod cordis locũ obtineat. Cor aũt uenarũ eſſe fontem ac principium, in libris De partibus *animantium antè dictum eſt: & ſanguinem in animantibus ijs quæ ſanguine prædita ſunt, extremum cibum eſſe, ex quo partes conficiantur. Perſpicuum eſt igitur, uim oris unum quoddam munus & officium exequi, ſtomachum in coquendo cibo alterum. Cor uerò, quod principatum obtinet, finem etiam imponit, totumq; munus abſoluit. Ita neceſſe eſt & eius animi qui ſenſus eſt, & eius qui alendi uim habet, principium & fontem eſſe in corde, in ijs animantibus quæ ſanguinem habent. Aliarum enim partium officia quæ in cibo uerſantur, ad huius munus & opus omnia referuntur. Quod enim principatum tenet, debet ad id cuius cauſa comparatum eſt, pertinere: non ad ea quæ huius cauſa facta ſunt, ut medicus ad ualetudinem. Verùm enimuerò ſenſuum principatus in corde eſt omnibus animantibus, quæ ſanguinem habent. In eo enim ſit neceſſe eſt communis ſedes omnium ſenſuũ. Cum enim duos eò perſpicuè pertinentes cernamus, guſtatum atq; tactum, eódem etiam cæteri pertineant neceſſe eſt. In hac enim parte motus cæterorum ſenſuum oriri poteſt, hi nihil ad ſuperiorem locum pertinent. Præterea ſi uita omnibus in hac parte ſita eſt, profectò*

principium fonsq́; ſenſus in ea etiam ſit neceſſe eſt. Quo enim animal aliquid eſt, hoc etiam illud uiuere dicimus. Qua autem ex parte ſenſus eſt particeps, hac corpus animans eſſe dicimus. Cauſa autem quæ ſit, cur alij ſenſus planè ac perſpicuè ad cor pertineant, alij autem in cerebro ſedem habeãt: ob eamq́; cauſam quibuſdam animantia ſentire cerebro uidentur, ſeparatim alio loco dixmus. Ex ijs autem quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt, experientia quidem & animaduerſione conſtare, in hac parte & in medio corpore trium partium animi, & eius qui ſenſus eſt, & eius qui augendi, & eius qui alendi uim habet, principium conſiſtere: ratione autem, quòd naturam in omnibus quoad eius fieri poteſt, optimum quidque facere cernimus. In medio autem naturæ quoniam locatum eſt utrunque principium, maximè quidã utraq; pars ſuum munus exequitur, & ea quæ extremum cibum conficit, & ea quæ eum excipit. Ad utramque enim earum partem ita affectus & erit & eſt medius hic locus, ut imperantis locus: & præterea inter id quod utitur, & inter id quo illud utitur, intereſſe oportet: & quemadmodum uis alia, ſic ſi fieri poteſt, modus alius eſſe debet; uelut tibiæ, & quæ tibias mouet, manus. Quòd ſi animal ex eo definitum eſt, quòd ſentiendi principium habet, in eorum quidem animantium quæ ſanguinem habent corde, hoc principium ſit neceſſe eſt: in ijs autem quæ eo carent, in parte quæ cordis locum obtinet. Omnes autem partes, omnéque corpus animantium, calorem quendam cognatũ & naturalem habet.

bet. Itaq; dum uiuunt, calida ſunt: cùm moriuntur: et priuata ſunt uita, contrà frigida. Neceſſe eſt igitur huius caloris in corde eſſe principium, in ijs quidem animantibus quæ ſanguinē habent: in ijs autem quæ non habent, in alia eiuſdem generis. Calore enim inſito, naturaliq; cibū cōficiunt, & coquūt omnia: in quo maximè cor, aut quod eius locū obtinet, plurimū poteſt. Itaq; reliquis refrigeratis partib. uita remanet: eo aūt calore cōſumpto, q in corde eſt, planè tollitur, propterea quòd caloris principiū hinc pēdet omnib. & animi qui quaſi ardore quodā coercetur in his partib. ita tamē, ut ea animātia quæ ſanguine prædita ſunt, in corde: ea aūt quæ carent, in ea quæ eiuſdē rationis eſt, eū habeant. Neceſſe eſt ergo ſimul & uitā ſuppetere, & caloris huius cōſeruationem, mortemq; eſſe eius interitum & diſſolutionem.

Sed ignis duplicem interitum cernimus, conſumptionem uel marcorem, & reſtinctionem. quorum eum quidem qui per ſe ac ui ſua igni accidit, conſumptionē ſiue marcorē uocamus: eum aūt qui à contrario, reſtinctionem: illumq; ſenectutis, hunc uiolentum dicimus. Quanquam interdum uterq; interitus per ſe accidit. Cum enim paſtus deficit, quoniā calor materiā qua alatur, aſſumere non poteſt, ignis interitus ſeqtur: propterea quòd cōtrariū, quod cōcoctionē cohibet, impedimēto eſt quo minus alatur. Cū aūt accidit ut ignis tabeſcat, id fit propterea, q magna caloris copia congeſta, nec reſpirare animal, nec refrigerari poteſt. Citò enim etiam hoc modo cibū conficit calor, cū magna copia cōgeſtus eſt, ſuoq; Cap. 3.

terit. Si enim eſt non natura, ſed ut ſciẽtia in animo, ſic animus in corpore eſt: ſit neceſſe eſt eius etiam alius interitus, præter eum quo interit unà cum corpore. Ita quoniam non uidetur talis, profectò alio modo ad corpus affectus eſt. Hoc autem rectè quærat aliquis, num id quod interire poteſt, aliquo loco interitus ſit expers: ueluti ignis in ſuperis, ubi nullum eſt contrarium. Ea enim quæ in contrarijs inſunt, conſequentia quadam & caſu intereunt, eo ipſo quòd illa occidãt. Cõtraria enim alia ab alijs cõficiũtur. Caſu autem nullum contrariorum quæ in eſſentijs inſunt, interit: propterea quòd de ſubiecto nullo eſſentia dicatur. Ita fieri non poteſt, ut id cui nihil cõtrariũ eſt, & ubi nõ eſt, intereat. Quid enim erit, quod ipſum interimat, cum à contrarijs modò cõfici poßit, quæ ei aut nulla ſunt omnino, aut certè in hoc loco? An aliqua ex parte hoc uerum eſt, alia non eſt? Fieri enim non poteſt, ut ei quod ex materia conſtat, non ſit quodam modo contrarium. Omnibus enim rebus calor, uel rectitudo conuenit: omnes autem uel calidæ, uel rectæ, uel candidæ eſſe non poſſunt. Sic enim affectiones ſeparatæ, ſeiunctæq; erunt. Quod ſi, cum primum eſt id quod uim efficiendi habet, & id quod accipiendi, ſemper illud agit, hoc patitur: fieri non poteſt, quin mutatio cõſequatur. Præterea neceſſe eſt aliquid redundare, id autem quod redundat contrarium eſt: ſemper enim ex contrario mutatio fit: & id quod redundat, prioris rei reliquiæ ſunt. Quòd ſi contrarium omne ui quadam reipſa adhibita expellitur, hoc etiam loco in-

co interire non poterit:aut poteſt illud quidem,ſed ab eo quod ipſum continet, interimitur. Ac ſi hæc ex ijs quæ diximus intelligi poſſunt, poſita ſint. Sin minus, ponendum eſt, ſubeſſe reipſa aliquid contrariũ, reliquiasq́; remanere. Itaq; minor flamma à maiore caſu conſumi ſolet, propterea quòd materiam quam illa longo tẽpore, fumo adhibito, maior flamma citò conſumit. Quocirca perpetuo motu agitantur, & oriuntur, uel intereunt. Quod autem aliud complexu continet, id uel in agendo adiuuat, uel contrà nititur: ob eamq́; cauſam ea quæ transferuntur, mutantq́; locum, ſi diu durabant, minus tum durant, quàm eorũ natura ferat: ſin æterna erant, etiam minus durant, dummodo eis data ſint contraria. Neq; enim ſtatim materia contrarium habet. Ita fit, ut ſi loci contrarium habeat, loco moueatur: ſi quantitatis, acceſſione & deceſſione: ſi perpeſſionis, immutatur.

Nec uerò quo quicq; maius eſt, eo minus interire ſolet: equo enim breuior uita, quàm homini, data eſt. nec contrà paruæ res diutius durãt: multæ enim beſtiolæ earum quæ inciſuras habent, annum tantum uiuunt. nec eorum quæ terra ex ſe fundit, ætas eſt, quàm hominum, planè longior: annum enim tantum uiuunt quædam eorum quæ oriuntur è terra. nec animãtiã quæ ſanguinẽ habent: apes enim diuturnitate multa animantia quæ ſanguinem habent, uincunt: nec ea quæ ſanguine carent: ea enim quæ molli corio obducta ſunt, & ſanguinem non habent, annum uiuunt. nec eæ naturæ quæ in terra uerſantur: Cap. 2

nam & ea quæ ex terra gignuntur, & animantia terrena annum uiuunt: nec ea quæ in mari, eſt enim illic breuis uita eorum piſcium, & qui duro, & qui molli corio obducti ſunt. Omninoq; longiſsima uita eſt eorum, primum quæ ex terra oriuntur, ut palmæ: deinde eorum animantium quæ ſanguinem habent, longior eſt, quàm eorum quæ carent: & terrenorum, quàm aquatilium. Itaque ea in quibus hæc duo coniuncta reperiuntur, ut & ſanguinem habeant, & terrena ſint, ex animalibus uiuunt diutiſsimè: ut homo & elephas. Atq; etiam maiorum ferè, quàm minorum, lõgior eſt uita. Alijs enim etiã quæ diutiſsimè uiuunt, magnitudo data eſt: quemadmodum ijs etiam quæ commemorauimus. Cauſa autem quæ ſit horum omnium, hinc perſpici poteſt. Intelligendum eſt enim, animal humidum & calidum eſſe natura ſua, qualis etiam uita eſt. ſenectus autem frigida & ſicca, & quod mortuum eſt: ita enim uidetur. Materia autem corporum, in ijs quæ habent, hæc ſunt, calor, frigus, ſiccitas & humor. Hinc neceſſe eſt ea quæ ſeneſcant, exareſcere. Itaq; humorem neceſſe eſt eam uim habere, ut non facilè exiccetur: ob eamq; cauſam pinguia cariem non ſentiunt. In cauſa eſt aer, qui cum alijs comparatus, ignis uim obtinet: ignis autem cariei incommoda non ſentit. Nec rurſus parua humoris copia eſſe debet: propterea quòd facilè id etiam quod exiguum eſt, exhauriri, exiccariq; poteſt. Itaq; & animalibus, & ijs quæ ex terra gignuntur, quæ quidem magnitudine præſtanti ſint, ferè iam ut dixi, longior

gior uita data eſt: quippe cum hoc ſit cõſentaneum, ut eis maiorem humorũ copiam natura largita ſit. Nec uerò ob eam ſolùm cauſam, eorum uita eſt longiſsima. Duæ enim cauſæ ſunt, & magnitudo & qualitas. Ita non ſolùm humoris, ſed caloris etiam copia eſſe debet, ut nec concreſcere, nec exareſcere facilè poſsit. Ob eamq; cauſam hominis uita longior eſt, quàm multorum, quæ eum magnitudine ſuperant. Diutius enim uiuunt ea, quæ humoris copia uincũtur: ſi maior in eis qualitatis ſit, quàm quantitatis in alijs præſtantia. Eſt autem in nonnullis calor pinguis, qui ſimul facit ut nec exiccari, nec refrigerari facilè poſsint: in alijs uerò alium ſuccum habet. Præterea id quod tale futurum eſt, ut non facilè intereat & occidat, reliquis abundarę non debet. Quod enim eiuſmodi eſt, id uel morbo, uel natura interit. Vis enim eorum quæ redundant & contraria naturæ eſt, & aliqua naturam, alia partem interimit natura ſua. Itaq; animantia ea quæ ad concubitum procliuia ſunt, magnaq́; ſeminis copia abũdant, citò ad ſenectutem compelluntur: propterea quòd ſemen reliquiæ quædam eſt, & præterea cum emiſſum eſt, exiccat. Ob eamq́; cauſam muli, quàm equi & aſini, à quibus generatus eſt, uita eſt longior: & fœminarum, quàm marium, ſi mares procliues ſint ad libidinẽ. Quo fit etiam, ut paſſeres mares breuiore tẽpore uiuãt, quàm fœminæ. Præterea mares omnes, qui ad faciendum opus attentiores ſunt, labore citius compelluntur in ſenectutem. Labor enim exiccandi uim habet, & ſiccitas in ſenectute

dominatur. Natura autem maribus longiorem, quàm fœminis, uitam largita eſt: idq; fit propterea, quòd in maribus maior, quàm in fœminis, caloris eſt copia. Eadē *uerò animantia quæ in calidis locis uerſantur, diutius uiuunt, quàm ea quæ in frigidis: ob eā ipſam cauſam, ob quam maiorū uita eſt longior, maximeq́; inſignis magnitudo eorū animantiū quæ frigida ſunt natura ſua.* Itaq; *et angues, & lacertæ, & beſtiæ quæ ſquammis obductæ ſunt, inuſitatæ ſunt magnitudinis, ijs in locis, quæ calore præſtant: & in mari rubro animalia quæ duro corio tecta ſunt. Nam & incrementi, & uitæ cauſa eſt calor is qui humoris eſt particeps.* In *locis autem quæ nimio frigore obrigeſcunt, quoniā humor is qui in animātibus ineſt, nimium aquam imitatur, facilè cōcreſcit.* Itaq; *animalia quæ parum aut nihil ſanguinis habent, omnino in locis quæ ad ſeptentrionem pertinent, nulla naſcuntur: nec quæ ad paſtum gradiendo accedunt, in terra: nec aquatilia in mari. alia naſcuntur quidē, ſed minora ſunt, eorumq́; breuior eſt uita.* Tollit *enim cumulum magnitudinis concretio: & ſi alimentū non capiant, tam animalia quàm ſtirpes, intereunt.* Se *enim ipſa liquefaciunt, & conficiunt.* Vt *enim magna flāma paruā abſumit & conficit, eo ipſo quòd materiam conſumit: ſic naturalis & inſitus calor, cui primum concoquēdi munus datum eſt, materiā in qua ineſt, conficit.* Aquatilibus *autem breuior, quàm terrenis animantibus, data eſt uita, non quòd humida planè ſunt, ſed quia aquæ humorē imitātur, cuius generis humor facilè exhauritur,*

ritur, propterea quòd frigidus eſt, & concretioni congelationi'que obnoxius. eaq; animantia quæ carent ſanguine, ob eandem cauſam: niſi ſe magnitudine tueantur. nam nec adipem habent, nec dulcedinem: cum in animantibus adeps cum dulcedine ſit coniunctus. Itaque apes diutius uiuunt, quàm alia animantia, quæ eas magnitudine corporis uincunt.

In ijs autem quæ oriuntur è terra, reperitur longiſsima uita, atq; longior quàm in animantibus: primùm quòd minus aquam imitantur, ob eamq; cauſam non facilè frigore obrigeſcunt: deinde quòd pingue quiddam & uiſcoſum habent: & quòd cum ſicca ſint, terráq; imitentur, tamen humor quem habent, non facilè exareſcit. Diuturnitatis autem quæ in arboribus natura ineſt, cauſa intelligi debet. Eſt enim ea propria, ſi cum animalibus comparetur, præter ea quæ inciſuris conſtant. Semper enim renouantur ea quæ terra ex ſe fundit, ob eamq; cauſam in multa durant tempora. Quippe alijs germinibus ſeneſcentibus, alia renaſcuntur: itemq; radices, ſed non eodem tempore, uerùm cum truncus tantum & rami perierunt, alij adnaſcuntur. Cum uerò ita affectæ ſunt radices, aliæ ex eo quod ineſt, gignuntur: atq; perpetua eſt hæc & intereuntis & renaſcentis uiciſsitudo, ex quo diuturnitas in eis ſequitur. Videntur autem ea quæ è terra gignuntur, eas beſtiolas, iam ut dixi, quæ inciſuras habent, imitari: quippe cum diuiſa uiuãt, ex unoq; duo & multa fiãt. Sed beſtiolæ quæ inciſuris cõſtant, uiuũt illæ Cap. 3

quidem,

quidem, non tamen diu poſſunt: propterea quòd inſtrumenta non habent: nec principium, quod in eis ineſt, ea facere ullo modo poteſt. At uerò principiũ, quod in ſtirpibus ineſt, poteſt: præſertim cum omni ex parte & radicem et truncum habere poßint. Itaq; ab hoc ſemper cum alterum ſeneſcit, alterum nouum erumpit: ut parum abſit, quin eorum quæ inſerimus, adæquent diuturnitatem. Nam in inſitione, hæc ipſa contingere quodam modo dici poſſunt, præſertim cùm pars ſit quædam ſurculus. Ac in inſitione quidem, ſeparatione & auulſione, hoc uſu uenit: illic autem, propter perpetuam ſucceßionem: idq; fit propterea, quòd omnem in partem, principium, cuius uis inſita eſt, diffuſum ſit. Idem autem & in animalibus & in ſtirpibus contingit. Ferè enim mares in animantibus longiore uita fruuntur, eorum'que ſuperiores partes ampliores ſunt, quàm contrariæ: mas enim nanos magis, quàm fœmina imitatur. Atqui in partibus ſuperioribus calor ineſt, & frigus in inferioribus. Stirpiũ etiam longior ætas earum eſt, quibus latiora amplioraq; capita data ſunt: quo in genere ſunt, nõ eæ quæ annum tantùm uiuunt, ſed quæ arborum magnitudinem imitantur. In ſtirpibus enim radix pars eſt ſuperior, & capitis locum obtinet. Quæ autem annum uiuunt tantummodo, ea per inferiores partes & fructus & magnitudinis cumulum accipiunt. Sed de his per ſe ac propriè, in libris De ijs quæ oriũtur è terra, diſſeretur: hoc autem loco expoſita eſt cauſa longæ breuiſq; uitæ animantium. Reſtat, ut nos

nos de iuuẽtute et ſenectute, uita & morte dicamus. His enim expoſitis, ratio & diſputatio quæ de animalibus inſtituitur, terminum habebit.

*ARISTOTLIS DE A*doleſcentia & ſenectute, uita & morte liber, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

DE *adoleſcentia & ſenectute, de uita & morte, hoc loco dicendũ eſt: & ſimul reſpirationis neceſſe erit fortaßis cauſas exponere, præſertim cùm ea ſit cauſa, cur quædam animalia uiuant, atq; non uiuãt.* Q*uoniam autem de animo alijs libris diſputauimus, perſpicuumq́; eſt, fieri non poſſe, ut eius eſſentia ſit corpus: hoc etiam perſpicuum eſt, eius ſedem in aliqua parte eſſe corporis: atq; in quadam earum, quæ inter partes uim & principatum obtinent.* A*c cæteræ quidem animi ſiue partes ſiue facultates, utrolibet nomine appellari debeãt, nunc prætermittẽdæ ſunt.* E*x qua autem & animalia appellantur, & uiuere dicuntur, in ijs quidẽ quæ utrunq; horũ acceperũt, ut & animalia ſint & uiuant, eadem ſit, unaq́; pars neceſſe eſt, ex qua idem uiuat, animalq́; dicatur.* A*nimal enim, qua ex parte animal eſt, non poteſt non uiuere.* Q*ua autem ex parte uiuit, ex ea animal eſſe non neceſſe eſt: quippe cùm ea quæ oriuntur è terra, uiuant illa quidem, ſenſus autem ſint expertia.* S*enſu autem animal à non animali diſtinguimus.* N*umero igitur neceſſe eſt unam eſſe, eãdemq́; hanc partem: natura autem*

tem

tem et ratione duas atq; diuerſas. Neq; enim idē eſt, animal eſſe ac uiuere. Quoniã aũt ſenſuũ qui proprij diſtinctiq; ſunt, unus eſt quidã ſenſus cõmunis, ad quem ſenſuũ functiones ac munera reuocari, referriq; neceſſe eſt: is profectò inter partem eam quæ antè, & eam quæ ponè eſt, locabitur. Ea enim prior in nobis dicitur, in qua ineſt nobis ſenſus: poſterior autem, contraria. Præterea cum ita corpus diſtinctùm ſit, eorum quidem omnium quæ uiuũt, ut alia parſ ſuperior ſit, alia inferior (omnia enim ſuperiorē inferiorēq; habent) fit, ut ea etiã quæ ex ſe fundit terra, in medio harũ uim altricē habeãt. Qua enim ex parte ſuccus ingreditur & trahitur, eam ſuperiorem uocamus, eius rationem habentes, non totius quod continet: inferiorem autem eam qua reliquiæ cibi primæ depelluntur. Sed contrà hoc in ſtirpibus & animantibus contingit. Nam hominibus, quia erecti excelſiq; ſunt, hoc maximè ſolis ex animalibus dedit natura, ut caput ad ſuperiorem uniuerſitatis partem attollant, cùm cæteris in medio ſit. Ea autem quæ gignuntur è terra, quoniam moueri non poſſunt, ſuccumq; ex terra trahunt & alliciunt, neceſſariò hanc partem ſemper humi depreſſam habent. Eam enim rationem radix habet in ſtirpibus, quam os in hominibus habet, qua quidem parte ſtirpes ex terra ſuccum trahunt: homines uerò cibum capiũt ipſi per ſe ac opera ſua. Cũq; tres partes ſint, in quas omnia animantia, quæ ſuis omnibus partibus abſoluta perfectaq; ſunt, tribuuntur, una qua cibum capiunt, altera qua reliquias cibi depellunt,

tertia quæ his interiecta eſt: hæc ipſa in maximis animalibus pectus uocatur, in alijs aliquid eſt quod eius locũ obtinet: quæ eadẽ in alijs eſt, quàm in alijs, euidentior. Quæ aũt in his gradiendo ad paſtũ accedunt, eis etiam ad hæc obeunda munera partes datæ ſunt, quibus omnem molem corporis ferant, & ſuſtineant: ut crura, ut pedes, & quæ eandem uim habent. Sed animi, qua ex parte alendi uim habet, principium in trium partium medio ſitum eſſe, & ſenſu & ratione perſpicitur. Multa enim animantia, utraque parte detracta & præciſa, capite uidelicet, & ea quæ cibum capit, uiuunt cum ea parte quam mediam diximus. Quòd in ijs quæ inciſuris conſtant, ut in ueſpis & apibus animaduerti licet. Quinetiam multa eorũ quæ inciſuras non habent, cum diuiſa ſunt in partes, propter uim altricem poſſunt uiuere. Pars autem hæc reipſa una eſt, multæ autem eſſe poteſt. Eodem enim modo conſtat, quo in ſtirpibus, quæ & uiuunt per ſe, cum auulſæ ſunt, & multæ arbores ex uno principio naſcuntur. Cur autem eorum quæ gignuntur è terra, alia ſi ſeparentur, uiuere non poſſunt: alia autem auulſa inſeruntur, alio loco dicendum erit. Sed tamen ſimilis eſt, hac quidem in parte, & ſtirpium ratio, & eorum animantium quæ inciſuras habent. Atq; etiam animus altor in ijs quidem quæ eum habent, neceſſe eſt et unus ſit reipſa, & multorum uim in ſe contineat. Quod de principio etiam ſentiendi iudicandum eſt eodem modo: quippe cum eæ quæ diuiſæ auulſæq; ſunt partes, ſenſum habere uideãtur.

erumpat. in animanntibus etiam quæ ſanguinem habent, cor primùm gignitur. Quod perſpicuũ eſt ex ijs quæ nos, quantum in ijs quæ nunc etiam gignuntur, cernere potuimus, inſpeximus. Itaq; in ijs etiam quæ ſanguine carent, aliquid primùm naſcatur neceſſe eſt, quod cordis locũ obtineat. Cor aũt uenarũ eſſe fontem ac principium, in libris De partibus *animantium antè dictum eſt: & ſanguinem in animantibus ijs quæ ſanguine prædita ſunt, extremum cibum eſſe, ex quo partes conficiantur.* Perſpicuum *eſt igitur, uim oris unum quoddam munus & officium exequi, ſtomachum in coquendo cibo alterum.* Cor *uerò, quod principatum obtinet, finem etiam imponit, totumq́; munus abſoluit.* Ita *neceſſe eſt & eius animi qui ſenſus eſt, & eius qui alendi uim habet, principium & fontem eſſe in corde, in ijs animantibus quæ ſanguinem habent.* Aliarum *enim partium officia quæ in cibo uerſantur, ad huius munus & opus omnia referuntur.* Quod *enim principatum tenet, debet ad id cuius cauſa comparatum eſt, pertinere: non ad ea quæ huius cauſa facta ſunt, ut medicus ad ualetudinem.* Verùm *enimuerò ſenſuum principatus in corde eſt omnibus animantibus, quæ ſanguinem habent.* In *eo enim ſit neceſſe eſt communis ſedes omnium ſenſuũ.* Cum *enim duos eò perſpicuè pertinentes cernamus, guſtatum atq; tactum, eòdem etiam cæteri pertineant neceſſe eſt.* In *hac enim parte motus cæterorum ſenſuum oriri poteſt, hi nihil ad ſuperiorem locum pertinent.* Præterea *ſi uita omnibus in hac parte ſita eſt, profectò*

hh prin-

principium fonsq́; ſenſus in ea etiam ſit neceſſe eſt. Quo enim animal aliquid eſt, hoc etiam illud uiuere dicimus. Qua autem ex parte ſenſus eſt particeps, hac corpus animans eſſe dicimus. Cauſa autem quæ ſit, cur alij ſenſus planè ac perſpicuè ad cor pertineant, alij autem in cerebro ſedem habeãt: ob eamq́; cauſam quibuſdam animantia ſentire cerebro uidentur, ſeparatim alio loco dixmus. Ex ijs autem quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt, experientia quidem & animaduerſione conſtare, in hac parte & in medio corpore trium partium animi, & eius qui ſenſus eſt, & eius qui augendi, & eius qui alendi uim habet, principium conſiſtere: ratione autem, quòd naturam in omnibus quoad eius fieri poteſt, optimum quidque facere cernimus. In medio autem naturæ quoniam locatum eſt utrunque principium, maximè quidã utraq; pars ſuum munus exequitur, & ea quæ extremum cibum conficit, & ea quæ eum excipit. Ad utramque enim earum partem ita affectus & erit & eſt medius hic locus, ut imperantis locus: & præterea inter id quod utitur, & inter id quo illud utitur, intereſſe oportet: & quemadmodum uis alia, ſic ſi fieri poteſt, modus alius eſſe debet, uelut tibiæ, & quæ tibias mouet, manus. Quòd ſi animal ex eo definitum eſt, quòd ſentiendi principium habet, in eorum quidem animantium quæ ſanguinem habent corde, hoc principium ſit neceſſe eſt: in ijs autem quæ eo carent, in parte quæ cordis locum obtinet. Omnes autem partes, omnéque corpus animantium, calorem quendam cognatũ & naturalem habet.

bet. Itaq; dùm uiuunt, calida ſunt: cùm moriuntur: et priuata ſunt uita, contrà frigida. Neceſſe eſt igitur huius caloris in corde eſſe principium, in ijs quidem animantibus quæ ſanguinē habent: in ijs autem quæ non habent, in alia eiuſdem generis. Calore enim inſito, naturaliq; cibū cōficiunt, & coquūt omnia: in quo maximè cor, aut quod eius locū obtinet, plurimū poteſt. Itaq; reliquis refrigeratis partib. uita remanet: eo aūt calore cōſumpto, q in corde eſt, planè tollitur, propterea quòd caloris principiū hinc pē det omnib. & animi qui quaſi ardore quodā coercetur in his partib. ita tamē, ut ea animātia quæ ſanguine prædita ſunt, in corde: ea aūt quæ carent, in ea quæ eiuſdē rationis eſt, cū habeant. Neceſſe eſt ergò ſimul & uitā ſuppetere, & caloris huius cōſeruationem, mortemq; eſſe eius interitum & diſſolutionem.

Sed ignis duplicem interitum cernimus, conſumptionem uel marcorem, & reſtinctionem. quorum eum quidem qui per ſe ac ui ſua igni accidit, conſumptionē ſiue marcorē uocamus: eum aūt qui à contrario, reſtinctionem: illumq; ſenectutis, hunc uiolentum dicimus. Quanquam interdum uterq; interitus per ſe accidit. Cum enim paſtus deficit, quoniā calor materiā qua alatur, aſſumere non poteſt, ignis interitus ſeqtur: propterea quòd cōtrariū, quod cōcoctionē cohibet, impedimēto eſt quo minus alatur. Cū aūt accidit ut ignis tabeſcat, id fit propterea, q magna caloris copia congeſta, nec reſpirare animal, nec refrigerari poteſt. Citò enim etiam hoc modo cibū conficit calor, cū magna copia cōgeſtus eſt, ſuoq; Cap. 3.

aduentu antè occupat conficiendo, quàm ſpiritus duci poſsit. Itaq; non ſolum tabeſcit paruus ignis à maiore, uerùm etiam lucernæ flamma ipſa per ſe maiori flammæ infuſa conſumitur, quemadmodum quiduis aliud quod exuri poteſt: idq́; propterea fit, quòd fomentum quod eſt in minore flamma, maior occupat, antè quàm aliud adhibitum ſit. Ignis autem generatur ſemper, atq; inſtar fluminis fluit: ſed obtutum oculorũ effugit, propter celeritatem. Perſpicuum eſt igitur, ſi (id quod neceſſe eſt, dummodò uitæ aliquid loci relinquatur) calor conſeruari oporteat, caloris qui in principio ſit, quandam refrigerationem ineſſe oportere. Cuius quidẽ rei exemplum ſumi licet ab eo, quod prunis quæ ſuffocantur, accidit: quæ ſi operiantur, ſuffocatione quæ dicitur perpetua, citò reſtinguuntur. Si quis autem crebrò detrahat, & nouos ingerat, diu igni accenſæ manent. Ignis autem, cum cinere adhibito abſconditur, conſeruatur. Nam nec propter cineris raritatem expirare prohibetur, & aere qui circumfuſus eſt obſtruitur, ne calor qui in eo magnus eſt, reſtinguatur. Sed contrarium incidere igni & cum abſconditur, & cum ſuffocatur (hic enim tabeſcit, ille autem ad multum tempus durat) in Problematibus etiam dictum eſt. Quoniam in omni animante animus ineſt, nec idem ſine caloris natura cõſtare, quemadmodum dixi, ullo modo poteſt, ijs quidem quæ oriuntur è terra, præſidium alimenti & illius quod continet, ſatis magnam uim affert ad caloris naturalis conſeruationem. Succus enim qui intromittitur, refri-

refrigerat, quemadmodum homines etiam cum primum alimentũ eſt. inediæ autẽ calorem afferunt, & ſitim pariunt: propterea quòd aer & ſpiritus qui nõ coagitatur, ſemper caleſcit: idemq́; coagitatus refrigeratur, cum cibus influit, quoad cibum cõcoxerit. Si uerò aut circumfuſus aer propter temporis rationem, frigore nimio ſæuiat, tum uehementibus ortis congelationibus, exiccantur: aut æſtate uehementes æſtus incidunt: & quia non poteſt humor qui è terra elicitur, refrigerare, calor tabeſcit & conſumitur, & arbores illis temporibus ſiderari dicuntur. Itaq; genera quædam lapidum radicibus ſubijciunt, & aquam in uaſis infundunt, ut ſtirpium radices refrigerentur. Animalia autem, quoniam alia in aqua, alia in aere uiuunt, ex his etiam alijs ex aqua, alijs ex aere refrigerandi præſidium ſuppetit. Quod quemadmodum fiat, deinceps dicẽdum erit.

ARISTOTELIS DE Reſpiratione liber, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

DE reſpiratione perpauci quidam, eorum qui antea in naturæ ſcientia uerſati ſunt, diſſeruerunt: quorum tamen nonnulli, cuius rei gratia animantibus data ſit, nihil omnino dixerunt: alij expoſuerunt illi quidem, ſed non rectè, uerùm minus ex eorum quæ eueniunt, uſu & obſeruatione: & præterea animantia omnia reſpirare dicunt. quod cum falſum ſit, primùm de his ne-

ceſſe eſt explicare, ut ne fruſtra abſentes accuſare ui. deamur. Illud *quidem perſpicuum eſt, animalia omnia quæ pulmonem habent reſpirare.* Sed *tamen omnia huius generis quæ pulmonē exanguem fungoſumq́; habent, minus reſpirationē requirūt.* Itaq; *diu ui ac robore corporis permanere poſſunt.* Habent *autē pulmonē ea omnia, quæ oua pariūt, ut ranarū genus: præterea mures fluuiatiles, atq; teſtudines diu in aquis uerſantur: propterea quòd eorū pulmo quia parum ſanguinis habet, exiguo calore præditus eſt: qui cum inflatur, agitatione ipſa refrigerat, facitq́; ut ad diuturnū tempus durent.* Quòd *ſi quis ea diu admodum ui teneat, omnia ſuffocātur, quòd aquam non recipiant, ut piſces faciunt.* Quæ *autem exanguem pulmonem habent, ea propter caloris copiam reſpirationis indigent: aliorum uerò quæ pulmone carent, nullū reſpirat.* Ac Democritus *quidem* Abderites, *alijq́; nonnulli qui de reſpiratione diſſeruerunt, nihil de alijs animantibus explicauerunt: etſi ita dicere uidentur, quaſi omnia reſpirent.* Anaxagoras *autem & Diogenes, cum omnia reſpirare tradunt, de piſcibus & oſtreis, quemadmodum reſpirent exponunt: dicitq́; Anaxagoras piſces reſpirare, cum aquam branchijs agitant & impellunt, ductu ſpiritus quem in ore habeant, nihil enim eſſe inane.* Diogenes *autem eoſdem tradidit, cum branchijs aquam impellunt, ex aqua quæ ora eorum circunfundit, trahere aera, eo inani quod in eorū ore ineſt, quòd ſit in aqua ſpiritus: quæ fieri nō poſſunt.* Primū *enim alterā rei partē detrahūt: propterea quòd*

id quod

id quod cõmune eſt, in altero ſolo dicitur. Reſpira*tio enim uocatur, cuius una pars expiratio eſt, altera inſpiratio, de qua nihil tradunt, quemadmodum eius generis animãtia ſpiritũ edãt: nec uerò explicare poſſunt. Cũ enim reſpirant, hoc ipſo quod reſpirarũt, rurſus animã efflare debent, idq́; uiciſsim facere.* Ita *fit ut ſimul & aquã ore accipiant, & animã efflent.* Atqui *neceſſe eſt cum incidunt & cõcurrũt, alterum alteri impedimentum afferre.* Deinde *cum aquam impellunt, tum uel ore, uel branchijs ſpiritũ edunt.* Ita *fit, utpariter & edant ſpiritum, & reſpirent.* Hoc *enim ipſum reſpirare appellant.* At *fieri non poteſt, ut ſimul ſpiritus edatur, atq; ducatur.* Ita *ſi neceſſe eſt ea quæ reſpirant & edere ſpiritum, & ducere: edere autem ſpiritũ nihil eorum poteſt, profectò nulla etiã eorum reſpirare poſſunt.* Præterea *illud quod aiunt, piſces ſpiritũ ex ore ducere, & ore ex aqua: fieri non poteſt.* Nam *cum arteriã non habeant, quòd pulmo eis datus non ſit, ſed ſtatim ori ſtomachus adhæreat, certè neceſſariò eum ſtomacho ducerẽt. hoc aũt alia quoq; animantia facerent, nunc non faciunt.* Idemq́; *illa cum extra aquam ſunt, perſpicuè facerent: & tamen id non uidentur facere.* Præterea *cum omnia reſpirant, ſpiritumq́; ducunt, eius partis quæ ducit, motum quendam atque pulſum exiſtere cernimus: quod in piſcibus non animaduertimus: nihil enim eorum quæ uentri annexa ſunt, agitare uidentur, ſed branchias tantum, tam in aqua quàm in terra, cum palpitant.* Præterea *cum in aqua omnia quæ reſpirant, ſuffocantur, bullæ*

 exiſtunt,

turam facere. Si enim quam ob cauſam animantibus reſpiratio data ſit exquiſiuiſſent, idq́; in partibus, ut in branchijs & pulmone ſpectaſſent, facilius cauſam inueniſſent. Democritus autem aliquid animantibus ex reſpiratione euenire tradit, cum eam ait impedire, quo minus animus à corpore diſcedat et expellatur, non tamen huius rei cauſa hoc naturam feciſſe exponit. Omnino enim ut alij Phyſici, ita hic, nulla ex parte hanc cauſam attingit, ſed animum & calorem primas illas rotũdas figuras eſſe dicit. Itaq; dum eius quod circunfuſum eſt, ui protruſa ſecernuntur, reſpirationem adiumentum dicit afferre. In aere enim magnum numerum eſſe eorum quæ ille mentem animumq́; nominat. Quocirca dum animal ſpiritum ducit, animaq́; agitur, hæc ſimul ingredi ait, cohibereq́; compreßionem, atq; impedire, quo minus animus, qui in animantibus ineſt, trãſeat, atq; diſcedat: ob eãq; cauſam in reſpirãdo & expirãdo uitã mortẽq́; cõſiſtere. Cũ enim id quod circũfuſum eſt ac comprimit, ſuperius eſt, nec iam id quod foris influit, prohibere poteſt, quòd animal ſpiritum ducere non poßit, tum mortem animantia opprimere. Eſſe enim mortem eiuſmodi figurarum diſceſſum à corpore, quem eius quod circunfuſum eſt & aſtringit, uis procurat. Cauſam autem cur omnibus quidem mors propoſita ſit, non tamen fortuitò, ſed lege præſcriptoq́; naturæ, ſenectute, ui autem contra naturam, non expoſuit. Atqui eum oportuit exponere, cum aliàs hoc fieri uideatur, aliàs non uideatur, utrè ipſa cauſa extrinſecus, an intrinſecus petẽda ſit. Nec

uerò quæ ſit reſpirationis principiũ explicat,ſit'ne eius externa cauſa,an inſita & interior. Neq; enim mens quæ extrà eſt,præſidiũ cõſeruat,ſed reſpiratio nis motusq́; principium interius eſt,non ab eo quod circunfuſum eſt,ut comprimente ducitur. Illud etiã abſurdum eſt,ſimul & id cum ambit,comprimere: & cum ingreſſum eſt,dirimere ac ſecernere. Atq; hæc ferè ſunt,quæ & quomodo ille dixit.

Cap. 2 Quòd ſi uera eſſe,quæ ſuprà diximus, exiſtimanda ſunt,nec animantia omnia reſpirare: hoc intelligendum eſt, non ad omnem mortem hanc cauſam eſſe accomodandam,ſed eam in ijs modò animantibus ualere, quæ ducant ſpiritum. Quanquam ne in his quidem rectè intelligi poteſt.idq́; ex ijs perſpici licet,quæ eueniunt,quæq́; omnes diuturna obſeruatione notauimus. In maximis enim caloribus,quò magis caleſcimus,eò & reſpirationem magis requirimus omnes,& crebrius ſpiritũ ducimus. Cum autem aer qui nos ambit,frigidus eſt,corpusq́; contrahit,tum cohibere ac retinere ſpiritum poſſumus. Atqui tum aera externum aduentu ſuo in corpus contractionem arcere oportebat,quod nunc contrà fit. Cum enim magna uis caloris cõgeſta eſt,nec animantia ſpiritum edunt,tum reſpirationem deſiderant: neceſſe eſt uerò qui ſpiritum ducant,eos reſpirare. Qui autem in magno æſtu & calore ſunt,ſæpe reſpirant,quaſi refrigerandi cauſa reſpirẽt: tumq́; id quod dici ſolet, Ignem igni addunt. Quæ autem in Timæo ſcripta eſt in orbẽ acta impulſio,nihil de cæteris animantibus ſtatuit, quemadmodum in eis

calor conſeruetur, utrum eodē, an ab aliqua alia cauſa. Si enim ijs ſolis animantibus quæ gradiuntur, reſpiratio cōceßa eſt, eius quod ait Solis, afferenda fuit cauſa. Sin alijs quoq; data eſt, ſed alius eſt modus, de eo explicandū fuit, an omnia reſpirare poßint. Præterea modus cauſæ cōmentitius eſt. Cùm enim per os calor foras excurrit, circumfuſum aera pulſu agitari, eundemq́; in locum illabi dicit per carnes quæ raræ ſint, unde calor inſitus exierit, quòd nihil ſit inane, ijq́; alius alij obſiſtant. Concaleſcente uerò rurſus per eundem locū foras excurrere, eundemq́; circunfuſum in corpus pellere per os aera eum qui foras calidus excurrerat, idq́; ſemper reſpirādo ac expirando facere animantia. Ii autem qui in ea ſunt ſententia, coguntur primū expirationē prius quàm inſpirationem fieri, concedere. Quod hinc ſciri poteſt, quia hæc mutua quadam uicißitudine inter ſe conſequuntur. At morientes edunt ſpiritum. Ita neceſſe eſt principium eße expirationē. Præterea cur animantibus reſpiratio & expiratio data ſit, non exposuerunt, qui hoc defendunt: ſed ut de re fortuita aliqua, ſolum de eis mentem ſuam explicauerunt. Atqui hæc ipſa in uita & morte dominari uidemus. Cum enim ea quæ reſpirant, ſpiritum ducere nequeunt, tum eorum interitus conſequitur. Iam uerò hoc abſurdum eſt, nos caloris per os exitum, rurſusq́; ingreſſum non ignorare: aeris autem in pectus introitum, & rurſus cum calet, diſceſſum ignorare. Illud etiam abſurdum eſt, caloris introitum reſpirationē eße. Cōtrà enim uidetur, id quod efflatur calidū eſſe:

id autem

id autem quod ducitur frigidum. Cum autem calidum eſt, quaſi aſpirantes reſpirant. Quoniam enim non ſatis id quod influit refrigerat, ſæpe ſpiritum ducere ſolent. Nec uerò alimenti cauſa reſpirationem animantibus datam eſſe exiſtimare debemus, quaſi inſitus calor ſpiritu alatur atq; augeatur: & cum animal reſpirat, tanquam igni materia adhibeatur, amplificatoq; igne atq; foco, exiſtat expiratio. Eodem enim modo hanc ſentẽtiam, qua ſuperiores, refellemus. Hoc enim cæteris animãtibus uſuuenire oporteret, aut aliquid quod ei reſponderet. Habent enim calorẽ uitalem omnia. Præterea illud quoque commentitium eſt, quomodo calor ex ſpiritu dicendus ſit oriri. Ex alimento enim eum potius exiſtere cernimus. Hoc autem etiam ſequitur, & efficitur, hoc ipſo & cibum capi, & eius reliquias depelli: id quod in alijs fieri non animaduertimus.

Cap. 3 *Diſſerit etiam Empedocles de reſpiratione, non tamen quam ob cauſam data ſit explicat: nec plenum facit, utrum animãtia omnia reſpirent, nec ne. Cumq; de ea reſpiratione quæ naribus procuratur, diſputat, de ea etiam reſpiratione quæ hoc nomine propriè appellatur, ſe putat dicere. Eſt enim & ea reſpiratio, quæ per arteriam ex pectore procuratur, & ea quæ naribus. Animalia enim ſine illa reſpiratione, naribus reſpirare non poſſunt: quæ ſi ea quæ naribus perficitur, priuentur, nihil mali ſentiunt: ſin ea quæ per arteriam, extinguuntur. Natura enim quibuſdam animantibus reſpirationem, quæ naribus fit, ad odoratum præter eius officium attribuit.*

tribuit. Itaq; odoratu animalia omnia prædita ſunt, cum non in omnibus huius ſenſus idem ſit locus & ſedes. Sed dem his alio loco planius dictum eſt. Ait autem animam duci & reddi, quòd ſint uenæ quædam quæ ſanguinem habeant, non tamen eo plenæ ſint: habeāt autem uias ad aera extremum pertinentes, quæ & corporis partibus anguſtiores ſint, & aeris ampliores. Quocirca ſanguis qui & ad ſuperiores partes & ad inferiores ferri ac delabi ſolet, ſi ad inferiores delabatur, influere animam, & duci: ſin ſupera capeſſat, eandem foras excurrere, & efflari. Ita hoc ipſum ei quod in clepſydris contingit, comparat:

Omnia ſic ducuntq; animam, redduntq; uiciſſim,
Omnibus exangues per corporum ultima uenæ
Se fundunt, cunctæ crebroq; feruntur hiatu
Ad nares: ſed ita, ut cruor occultetur, & auræ
Acceſſus pateat facilis, faciliſq; recurſus.
Hinc poſtquam mollis redit ad præcordia ſanguis,
Spiritus inflammans delabitur agmine longo.
Aſt ubi ſumma petit cruor, hic tū redditur: ut cum
Virgo domi ludens clepſydram carpit ahenam,
Ora ſolet primùm formoſa occludere dextra,
Hinc in aquæ fundum uas illud mergere mollis.
Necdum in uas acceſſus aquæ datur, arcet at illam
Aeris infuſi per crebra foramina moles.
Dum preſſam illa uiam detexerit: ocyus at tunc
Aere depulſo mollis ſeſe ingerit humor.
Sed cum lympha quidem uaſis partes tenet imas,
Virginis atq; manus ſtudioſe comprimit ora:

Spiritus obſiſtens illa undam ſede coercet,
Circum iſthmi portas ſtreperi ſuprema tenendo,
Dum trahat illa manũ: tum contrà quàm prius aer
Irrumpens, mollem ſibi aquam concedere cogit.
Haud aliter tener ille cruor per membra recurrens,
Dum fuſus celeri rurſum petit intima curſu,
Longo alter ſtatim delabitur agmine fluxus.
Aſt ubi ſumma petit cruor, hic tum efflatur abundè.

Atq; hæc illius de ducẽdi ſpiritus ratione ſentẽtia eſt. Ducunt *autem ſpiritum, iam ut dixi, ea quæ plane reſpirant per arteriam, et per os ſimul & per nares.* Itaque *ſi de hoc reſpirandi genere diſſerat, neceſſe erit quærere, quo tandẽ pacto rationem quam inuexerit, ad cauſam accommodare poßit. Contrà enim uſuuenire uidetur.* Homines *enim, quoniam relaxato loco & ſede reſpirandi, quemadmodum folles tollere ſolent in officinis ærarijs, reſpirant, eos calorem tollere conſentaneum eſt, et ſanguinem locum caloris obtinere. Aſtringentes autem & ſuffocantes, ut illic folles, animam efflant, niſi quod illi non per eundem locum aera hauriunt, & reddũt: hi autem per eundem. Quòd ſi de eo ſolum reſpirandi genere quod per nares fit, diſſerit, uehemẽter errauit.* Neq; *enim reſpirandi uſus narium proprius eſt, ſed per eas anguſtias quæ faucib. adhærẽt, qua parte palato os terminatur, perforatis naribus ſpiritus partim per hunc locũ, partim per os egrediendi pariter, & ingrediẽdi uicißitudine quadã delabitur. Ac ea quidem quæ ab alijs de reſpirãdi ratione dicta ſunt, talia ac tanta incommoda continent.*

Quoniam

Quoniam autem antè dictum eſt, uitam & animum cũ calore quodam coniuncta eſſe (neq; enim concoctio, qua animantes aluntur, ſine animo & calore conſtare perficiq; ullo modo poteſt, quippe cũ igne omnia conficiunt) in quo primo corporis loco, & in qua prima primi loci parte principium tale neceſſariò ſtatuendum & collocandum eſt, in ea etiam animi, quo omnia uigent & aluntur, qui idem primus eſt, locus ac ſedes ſit neceſſe eſt: qualis eſt is qui inter eam partem in quam cibus delabitur, & eam qua cibi reliquiæ depelluntur, interiectus eſt. Ac in ijs quidem animantibus quæ ſanguinem non habent, nomine uacat: in ijs autem quæ habent, hæc pars cor dicitur. Succus enim is ex quo iam partes animantibus naſcuntur, natura eſt ſanguinis. Sanguinis autem & uenarũ idem principium ſit neceſſe eſt, præſertim cũ alterius cauſa alterum comparatum ſit, quaſi uas quoddam & receptaculum. Venarum porrò ijs quæ ſanguinẽ habẽt, cor principiũ datum eſt: quandoquidẽ non per illud, ſed ex eo omnes pendent. quod quidem nobis apertis corporibus conſtitit. Ac cæteræ quidem animi partes & facultates ſine ea qua alimur, eſſe nullo modo poſſunt: quod cur fiat, antea in libris de Animo diximus. Hæc autẽ ipſa ſine inſito innatoq; calore & igne non poteſt extare: præſertim cum eam natura in hoc quaſi accenderit, & excitauerit. Ignis aũt interitus, quemadmodũ ſuprà dictum eſt, duplex eſt: reſtinctio, & cõſumptio: quorũ reſtinctio à cõtrarijs proficiſcitur. Itaq; ignis tum uniuerſus ac confertim coaceruatus, tum cele- Cap. 4.

tum celerius etiam diuulſus reſtinguitur. Atq; *hic quidem uiolentus interitus æquè in res inanimas, & in animatas cadit.* Animantia *enim cum & inſtrumentis ſecantur, & nimio frigore obrigeſcunt atque cõcreſcunt, interire ſolent. C õſumptio autem, aut marcor, nimia quadam caloris copia euenit.* Etenim *ſi circumfuſus calor modũ tranſeat, nec materiam concipiat, tum id quod calidum eſt, non algore, ſed languore quodam cõſumi & confici ſolet.* Ex *quo fit, ut refrigerari debeat, ſi ſaluum & incolume ſit futurũ.* Hoc *enim huiuſmodi interitui adiumentũ affert. Quoniam autem animantes aliæ aquatiles ſunt, aliæ terrenæ, ijs quidem quæ & admodũ minutæ ſunt, & ſanguine carent, refrigeratio ea quæ ex circunfuſa aqua aut aere exiſtit, ſatis magnum adiumentum affert ad hunc uitandum interitum. Cum enim parum in eis ſit caloris, exiguum etiam præſidium deſiderant.* Itaq; *his ferè breuis uſura uitæ data eſt: propterea quòd cum in utranq; partem ualeant, parui momenti ſint. Quæ autem ex inſectorum genere (inſecta enim nulla ſanguinẽ habẽt) diutius uiuunt: in his enim ſub ſepto tranſuerſo corpus diſſectũ eſt, ut cum membrana paulo ſit tenuior, refrigerẽtur.* In *quibus enim maior caloris uis & copia ineſt, ut in apibus, ea maiorẽ quandã refrigerationẽ requirunt.* Quædam *enim apes ſeptimũ annum complent.* Eadem *eſt aliarum beſtiolarum ratio, earum quæ ſtridorem reddunt: quo in genere ſunt ueſpæ, ſcarabæi, & cicadæ.* Spiritu *enim reſonãt, quaſi aſpirando, præſerim cum in ipſo ſepto tranſuerſo ſpiritui*

tui innato dilatanti ſe & contrahenti accidat, ut mem branam pellat. Agitant enim locum hunc, non ſecus ac animantia quæ ſpiritum foris ducunt pulmone, & piſces branchijs. Similiter enim fit, ut ſi quis ore cõpreſſo aliqua animantia eorũ quæ reſpirant, ſuffocet. Nã pulmonis ui hæc ita ſeſe relaxabunt. Sed hæc quidem non ſatis hoc tali motu refrigerantur, illa autem ſatis. Atque etiam conflictu & ictu membranæ ſtridorem reddunt, quemadmodũ diximus: ut pueri ſolent, cùm perforatis arundinibus membranas tenues adijciunt. Ob eam enim cauſam & cicadæ canorè canunt. calo ris enim in eis maior quædã uis ineſt, & ea pars in eis ſub ſepto tranſuerſo ſecta eſt, quæ eadem indiuidua in ijs eſt, quæ mutæ ſunt. Atq; etiam eorum quæ ſanguinem habẽt, & pulmonem quidẽ, ſed in quo parũ ſanguinis inſit, atque eum fungoſum, quædã diu ſine ſpiri tu uiuere poſſunt, quòd eorum pulmo in quo parum ſanguinis et humoris ineſt, ſe magnopere relaxet. Pulmonis enim ſua ac propria coagitatio eſt, quæ cùm diu refrigerare poßit, tandẽ tamen non poteſt: ſed ea quæ ſpiritũ non duxerunt, quemadmodum iam antè dixi, ſuffocãtur. Languoris enim & marcoris interitus qui refrigerationis priuatione euenit, ſuffocatio dicitur: et q hoc modo intereũt, ſuffocari dicimus. Quod autẽ ſu prà dictum eſt, animantia ea quæ inſecta dicãtur, non reſpirare, id in beſtiolis, ut in muſcis & apibus animaduerti poteſt: quæ in ſumma aqua ad multũ tẽpus natant, niſi ſit præter modum frigida aut calida, etiãſi ea quæ imbecilla ſunt, crebrius ſpiritũ uelint ducere. Sed cõficiuntur hæc, ſuffocarique dicuntur tum deni

que, cùm uenter completur, is que humor qui in ſepto transſuerſo ineſt, cõſumitur. Itaq; ſi diu in cinere foueantur, reuiuiſcunt. Ac eorum quæ in aqua degunt, omnia quæ ſanguine carent, diutius in aere uiuunt, quàm ea quæ ſanguinẽ habẽt, et mare perſequũtur, ut piſces. Quia enim paruo calore prædita ſunt, ea diu aer refrigerare poteſt: quo in genere ea ſunt quæ molli teſta obducta ſunt, & polypi. non tamen ſatis in eo præſidij eſt ad propagandam eorum uitam, propterea quòd parum caloris habent. Quinetiam multi piſces in terra uiuunt: ſed immobiles, defeſſiq; reperiuntur. Quibus enim pulmonem natura dedit, atque eum expertẽ ſanguinis, ea minus refrigerationem requirunt. Illud ergo iam confectum eſt, eorum animantium, quæ ſanguinis expertia ſint, alijs circunfuſum aera, quibuſdam aquam et humorẽ adiumentũ ad uitam afferre. Quæ autem ſanguinem habent, & cor eorum quibus pulmo datus eſt, omnia aera hauriũt, ex eoq; refrigerantur, quòd ducant reddantque ſpiritum. Pulmo autem datus eſt ijs etiã quæ intra ſe, & non extrà ſolum uiua pariunt. (Nam ea quæ cartilaginea appellantur, uiua illa quidem pariunt, ſed non in utero) & eorum quæ oua pariunt, tum ea quæ pennarum pernicitate utuntur, ut aues: tum ea quæ ſquamis obducta ſunt, ut teſtudines, ut lacertæ, ut angues. Ac illa quidem pulmonem ſanguine præditum, hæc autem maxima ex parte fungoſum habent. Itaque id quod iam dictum eſt, rarius reſpirant. Reſpirant etiam ea omnia quæ in aquis uerſantur & uiuunt, ut hydrorum genus, mures, fluuiatiles ranæ, crocodili, teſtudineſq;

ſtudines que fluuiatiles & terrenæ, & uituli marini. Hæc enim omnia alia que eiuſdem generis & in loco ſicco pariunt, & uel in terra uel in aqua dormiunt, extante eminenteq; roſtro reſpirandi gratia. Quibus autem brāchiæ datæ ſunt, ea omnia aquæ hauſtu et infuſione refrigerantur. Branchiæ *porrò datæ ſunt omnibus & quæ cartilaginea dicuntur, & quæ pedibus carent.* Pedibus *autē piſces omnes carent.* Etenim *quæ habent, pennarum ſpecie habent.* Eorum *uerò quibus pedes dati ſunt, quæ quidem cognita ſint, unus is qui* Cordulus *uocatur, branchias habet.* Quod *autem & pulmonem & branchias haberet, nihil dum uiſum eſt.* Idq; *factum eſt propterea quòd pulmo refrigerationis quæ ſpiritu affertur, & procuratur, gratia comparatus eſt. (hinc* πνεύμων, *id eſt pulmo, nomē ex* πνεύματος, *id eſt, ſpiritus receptaculo habuiſſe uidetur) branchiæ uerò propter eam refrigerationem quæ ab aqua proficiſcitur.* Atqui *inſtrumentum unum uni muneri uſui eſt, et una refrigeratio ſatis eſt omnibus.* Quapropter *cùm naturam nihil fruſtra & ſine cauſa facere uideamus, & cùm duo ſint, alterum fruſtra & ſuperuacaneū eſſet, ſit ut aliis branchiæ datæ ſint, aliis pulmo, utrunq; nulli.* Quoniam *autem ſtatus ſui cauſa alimentū, & conſeruationis refrigerationem animantia omnia requirunt, eodem inſtrumento ad utrunq; horum natura utitur: & quemadmodum nonnullis linguæ uſum ac munus largita eſt & ad ſaporum diſtinctionē, & ad ſenſa animi exprimenda, ſic iis animantibus quæ pulmonem habent, os & ad cibum conficiendum, & ad reddēdā ducēdāq; animā dedit. iis uerò quibus pul-*

mo datus non eſt, nec reſpirãdi uſus, roſtrum quidẽ ad cibi confectionem: reſpirandi uerò cauſa & capiendi cibi, ijs quæ reſpirationis indigerent, branchias dedit. Quo quidem modo uis eorum inſtrumentorum quæ dicta ſunt, refrigeret, pòſt diſſeremus. Ne autem cibus impediatur, idem ijs quæ reſpirant, & ijs quæ humorẽ recipiunt, uſuuenit. Neq; enim cum ſpiritum reddũt, ſimul cibum capiunt. Alioqui animantia ſuffocari ſolent, quòd per arteriam in pulmonem cibus uel humidus, uel aridus delabitur. Arteria enim ſuprà ſita eſt, quàm gula per quam cibus delabitur in uentriculum. Atque in quadrupedibus quidẽ, & in ijs quæ ſanguinem habent, arteria tegitur epiglottide, quaſi quodam operculo. Auibus autẽ & quadrupedib. ijs quæ oua pariunt, data nõ eſt, ſed cõtractione idẽ efficiunt. Cùm enim cibũ capiunt, partim contrahunt, partim minore lingua adiecta tegũt. Cum uerò cibus delapſus eſt, tum hæc lingulam attollunt, illa guttur dilatant, ſpiritumq; refrigerandi cauſa excipiunt. Quibus autem branchiæ datæ ſunt, ea branchijs impulſa aqua, ore eſcam arripiunt. Neq; enim habent arteriam. Itaq; hac quidem parte nihil eis aqua ſi incidat, nocere et obeſſe poteſt, ſed cùm aqua in uentriculum illabitur. Itaque citò & accipiunt cibum & depellunt, denteſq; eis acuti ſerratiq́ue omnibus ferè dati ſunt, neque enim cibum extenuare poſſunt.

Cap. 5. *Sed de ijs quæ cete dicuntur, quæſtio eſt. Quanquam hæc etiam pro portione habent, ueluti delphini, balenæ, cæteriq́ue piſces, qui fiſtulam habent. Hi enim omnes & ſi pedibus carent, tamen pulmonem*

nem habent, in mari'que uerſantur. Id'que fit ob eam cauſam quæ modo allata eſt. Neque enim refrigerandi cauſa aquam excipiunt. hoc enim eis ſpiritum ducentibus accidit, pulmonem enim habent. Itaq; roſtro extra aquam extante, dormiunt, ſtertunt'que delphini: quòd ſi retibus capiantur, citò ſuffocātur, propterea quòd ſpiritum ducere non poſsint: omnia'que eiuſdem generis in maris ſumma aqua fluitare propter reſpirationem uidentur. Sed quoniam neceſſariò in aqua eſcam & alimentum capiunt, neceſſe eſt humorem, cum cibum capiunt, depellant, ob eam'que cauſam fiſtula eis omnibus data eſt. Cùm enim aquam exceperunt, eam ut piſces branchijs, ſic fiſtula euomere & diſsipare ſolent. Quod etiam ex fiſtulæ ſitu perſpici poteſt: in nulla enim parte earum in quibus ſanguis ineſt, terminatur: ſed ante cerebrum ſita eſt, aquam'que emittit. Ob eam'que cauſam aquam & quæ molli corio, & quæ molli teſta obducta ſunt, ueluti locuſtæ, & cancri hauriunt. Nullum enim eorum refrigerationem deſiderat. (Cùm enim & exiguus calor, & ſanguis nullus in quoque horum ſit, fit, ut ſatis à circunfuſa aqua refrigerentur) ſed propter cibum, ut ne cum cibum capiunt, ſimul aqua illabatur & influat. Ac ij quidem piſces, qui molli teſta tecti ſunt, ut cancri, & locuſtæ, per partes hirſutas operculo quodā depoſito aquam effundūt: ſepiæ aūt & polypi per aluū quæ ſupra eam partē ſita eſt, q̃ caput dicitur. Sed de his accuratius in libris de hiſtoria animantiū ſcripſimus. Ac beſtias quidem quæ in aquis natura duce uerſantur, aquā recipere ſolere diximus,

 & reſpi-

& reſpirandi cauſa, & quod ex aqua eas paſtus capere oporteat,

Cap. 6. *Refrigeratio autem quonam pacto eueniat, & ijs quæ reſpirant, & ijs quibus branchiæ datæ ſunt, deinceps dicendum eſt. Ac illud quidem iam antè dictũ eſt, ea omnia animantia, quibus pulmo datus ſit reſpirare. Cur autem nonnullis datus ſit, & quamobrem ea quibus datus eſt, refrigerationem requirant, ſi quæratur, cauſa quidem cur datus ſit, calor eſt, quem maiorem habent animantia, quo quodque præſtantius eſt. Sic enim fit ſimul, ut animum etiam præſtantiorem nacta ſint. Præſtant enim hæc ſtirpibus. Itaque quo in cuiuſque pulmone maior & ſanguinis & caloris ineſt copia, eo cuique maior moles & ſtatura data eſt: homini que qui unus ex omnibus animantibus puriſsimum & plurimum ſanguinem nactus eſt, maximè rectam & excelſam figuram natura dedit: & caput ad cœlum erectum ei ſoli datum eſt, propterea quòd eam partem talem habeat. Quocirca eadem cauſa ſtatus ac conſtitutionis & huic, & cæteris ſtatuenda eſt, quemadmodum etiam quæuis alia partium. Huius ergo rei cauſa pulmo animantibus datus eſt. Cur autem neceſſariò moueatur, ſi quæramus, hæc ipſa animantia ita conſtare exiſtimandum eſt, ut pleraque etiam eiuſdem generis ex terra non conſtent. Alia enim ex maiore terræ particula conſtant, ut ſtirpes: alia ex aqua, ut beſtiæ aquatiles, terrenæ autem ex aere: uolucres uerò ex igne, quæ in ſuis locis uerſantur. Empedocles autem non rectè hoc tradidit, beſtias aquatiles plurimum*

rimum & caloris & ignis ex animantibus habere, eas'que maiorem caloris innati uim fugere, ut quoniam eis frigus & humor deſit, in loco contrario ſeruentur. In aqua enim minus caloris ineſſe, quàm in aere. Ac illud quidem abſurdum eſt, qui fieri poſſit, ut unumquodque eorum cùm in terra ortum ſit, mutata ſede aquam perſequatur, præſertim cùm pleraque eorum pedibus careant. Ille autem eorum primum ortum exponens, ea in terra edita eſſe dicit, quam cùm declinent, quamprimùm aquam uult perſequi. Prætereà ne terrenas quidem beſtias calore uincere uidentur: quippe cùm eorum partim planè exanguia ſint, partim parum ſanguinis habeant. Atqui hoc explicandum ſuſceperat, quæ per ſe & calida & frigida dici oporteret. Atque ut ea cauſa quam ipſe Empedocles attulit, rationem quæ exquiritur, quodammodo contineat, tamen eius non eſt uera ſententia. Nam loca'contraria & tempora, cum affectiones ac ſtatus immoderatam quandam temperationem contineant, conſeruant tamen, & natura cuiuſq; in proprijs accommodatis'que locis conſeruatur maximè. Neque enim idem ſunt materia animantium, ex qua quodque conſtat, eorundémque habitus & conſtitutiones. ut ſi quid ex cera conflatum concretum'que eſſet natura, id ſi in calore collocaretur, ſaluũ minimè remaneret, nec ſi quid ex glacie: interimeretur enim atq; deleretur celeriter à contrario, propterea quòd calor liquefacit id omne quod à contrario concretũ eſt. Nec ſi qd eadẽ natura ex ſale aut nitro cõglutinauerit, id in aqua ferẽs ſolet collocare. De

ſtruit enim humor ea quæ à calore & ſiccitate coalue runt. Quòd ſi humor ac ſiccitas materia ſunt omnium corporum, rectè ea quæ ex humore ac frigore cōſtāt, in aquis erunt, & ſi frigida in frigidis: quæ autem ex ſiccitate, in terra & aridis locis. Ob eamq́; cauſam ar bores non in aqua, ſed in terra naſci ſolent. Atqui eadem ratione aquam perſecutæ eſſent, quòd ſint præter modum aridæ: quemadmodum ille ait ea in aqua naſci, quæ nimio calore prædita ſunt. Non enim propter frigus, ſed propter humorem eò à natura impulſa eſſent. Materiæ igitur natura talis eſt, qualiſcunq; locus eſt, in quo uerſatur: quæ in aqua, humida: quæ in terra, arida, & calida quæ in aere. Affectiones autē & cōſtitutiones quæ calore præſtant, in frigido loco: quæ frigore, in calido collocatæ, magis conſeruantur. Reuocat enim locus ad mediocritatē id quod nimium eſt in conſtitutione. Hoc quidem quærendum eſt in accommodatis cuiq́ue materiæ locis, ac pro communis temporis inclinationibus ac uarietatibus. Conſtitutiones enim locis aduerſari poſſunt, materia non poteſt. Ac calorē quidem nō eſſe cauſam, cur animātia quædam aquatilia ſint, alia terrena, quemadmodū Empedocli placet, tot dicta ſint: & cur alijs pulmo datus ſit, alijs non ſit. Cur aūt ea quibus eſt datus, ſpiritū ducant et reſpirēt, maximeq́; ea quæ ſanguine præditum ipſum habent, cauſa quidem reſpirandi eſt pulmo, qui ſpongijs quiddam aſsimile habet, fiſtularūq; plenus eſt, atq; hæc eadē pars una ex omnibus inteſtinis exanguis eſt maximè. Quibus ergo ſanguinis particeps ipſe datus eſt, ea & celeritatē refrigerationis deſiderant, propterea quòd

exiguum

exiguum adiumentum animalis calor afferat, & illius introitũ ad intimas omnes partes propter ſanguinis caloriſq; copiã, quorũ utrũq; aer facilè præſtare poteſt. Nam quoniã tenuis eſt natura ſua, & per omnes partes, & citò diffuſus refrigerat. Aqua autem contrà. Atque etiam hinc perſpici licet, cur ea potiſsimum reſpirent, quibus pulmo cum ſanguine datus ſit: quòd quo quicq; maiore calore præſtat, eo plus refrigerationis requirit, & prætereà ſpiritus facilè ad principium fontemq; caloris qui in corde eſt, delabitur. Quo autẽ modo cor cum pulmone colligatũ ſit, et cohæreat, tùm ex iis corporib. quæ aperiuntur, tum ex hiſtorijs quæ de animantibus ſcriptæ ſunt, perſpiciendum eſt. Ergo refrigeratione omnino animantiũ natura indiget, propter igneum illum calorem, quẽ ab animo cor accipit. Hunc autem reſpirationis ope ac beneficio nanciſcuntur ea omnia animãtia, quibus natura non ſolum cor, ſed etiã pulmonẽ dedit. Quibus aũt cor datum eſt, non etiã pulmo, ut piſcibus, ea quoniã natura ſua in aquis uiuunt, aqua adminiculo branchiarum ſe refrigerant. Quã autẽ rationem in ſitu cor ad brãchias habeat, oculis quidẽ apertis corporibus, perſpici poteſt diligenter & accuratè ex hiſtorijs. Sed ut de eo nunc etiã aliquid ſummatim dicamus, ita eſt. Videri quidẽ poteſt nõ eodem modo ſitũ eſſe cor in terrenis animãtibus & in piſcibus, ſed tamẽ eodẽ modo eſt. Quò enim capita inclinãt, eò cordis mucro ſpectat. Quoniam autem non eodẽ modo capita inclinãt, in terrenis animalib. et piſcibus cordis mucro ad os pertinet: ex extremo autem corde fiſtula quædã quæ uenarũ ac neruorũ plena eſt,

ad mediū pertinet,quo inter ſe omnes branchiæ nexæ coniūctæq; ſunt. Atq; hæc quidē eſt maxima:ex utraq; autem cordis parte aliæ ad extremitatem uniuſcuiuſq; branchiarū pertinent,quarum adminiculo ad refrigera tionē cor utitur,delabente ſemper aqua per brāchias. Atque ut branchiæ piſcibus,ſic ijs quæ reſpirant thorax crebro pulſu huc illuc'que agitatur,recipiendo e-dendóque ſpiritu. Et ea quidem quæ ducunt ſpiritum, paruo aere atq; eodem ſuffocantur. Celeriter enim utrunq; eorum concaleſcit, propterea quòd utrunque ſanguinis tactus calidum reddat. Sanguis autem qui calidus eſt,refrigerationem impedit.cum autem ea quæ reſpirant,pulmonem,aquatilia brāchias,aut per morbum aut ſenectutem agitare non poſſunt,tum denique moriuntur.

Cap.7. *Ac omnium quidem animantium cōmunis eſt ortus & mors:modi autem ſpecie differunt.neq; enim diſtinctionis expers eſt interitus.ſed commune quiddam habet. Mors autem alia uiolenta,alia naturalis eſt. Violenta,cum externum eſt principium. Naturalis,cum interitus eſt,partis'que conſtitutio ab initio talis eſt,nec aduentitia eſt affectio quædam. Ac in ijs quidem quæ oriuntur è terra,hoc ipſum ſiccitas, in animantibus ſenectus dicitur. Eſt autem mors propoſita & interitus ex æquo omnibus quæ inchoata non ſunt:quibus ſimiliter quidem,ſed alio modo conuenit. Inchoata autem uoco, ut oua & ſemina ſtirpium quæ fibris ac radicibus carent. Ac omnibus quidem interitus incidit propter caloris penuriam,perfectis autem in ea parte in qua eſſentiæ fons eſt ac principum : hoc porrò in*

De morte & uita hoc loco differit, ſed in Græco non eſt diſtinctus liber à ſuperiore.

rò in ea parte ſitum eſt, in qua, ut antè dixi, ſuperior pars & inferior in ſtirpibus quidem in medio germinis & radicis: in ijs autem animantibus quæ ſanguinem habent, in corde: in ijs uerò quæ expertia ſunt ſanguinis, in aliqua parte, quæ eandem rationem habet. Horum porrò quædam multa principia habere poſſunt, non tamen reipſa habent. Quocirca & inſecta quædam diuiſa in partes uiuunt: & quæ ſanguinem habent, nec admodum uieta ſunt, diu uiuunt auulſo diuiſo'que corde, ut teſtudines, quæ pedibus ingrediuntur tum etiam cum paruæ ſunt: propterea quod ut inſectorum, ſic earum natura non benè compacta ſit. Principium autem uitæ tum deniq; ea quibus datũ eſt deficit, cum calor uitalis non refrigeratur. Nam quemadmodũ dictum eſt, à ſe ipſe conſumitur. Cum ergo alijs pulmo, alijs branchiæ obdureſcunt, temporis'que diuturnitate his branchiæ, illis pulmo exareſcit, eæ'que partes terræ ſiccitatem imitantur, nec mouere eas, nec dilatare, nec contrahere poſſunt, tum denique contentione adhibita, ignis conficitur. Itaque leuibus morbis in ſenectute obortis, citò moriuntur. Nam quoniam exiguus eſt tum calor, propterea quòd in diuturna uita plurimum exhauſtum eſt, quæcũque partis contentio adhibeatur, celeriter extinguitur, ut ſi tenuis & modica in eo flamma ineßet, quæ paruo impulſa reſtingueretur: ob eãq; cauſam ſine dolore eſt et moleſtia mors ea quæ in ſenectute obrepit. Senes enim moriũtur ſine ullo maiore impulſu, nec animi dißolutionem atq; diſceſſum à corpore prorſus ſentiunt. Morbi etiam qui pulmonem

durum

durum reddunt uel inflationibus, uel reliquijs ciborũ, uel nimia copia caloris qui morbos parit, quemadmodum in febribus uſuuenire ſolet, animãtia crebrum ſpiritum cogunt ducere, propterea quòd pulmonem non admodum dilatare, nec contrahere poßint: quem cùm mouere & agitare non poſſunt, tum denique edito ſpiritu moriuntur. Ac ortus quidẽ eſt prima animi cuius eſt alere, cum calore cõmunio. Vita, huius permãſio. Adoleſcentia autẽ, primæ partis quæ refrigerãdi uim habet, accretio. Senectus, eiuſdem diminutio. Conſtãs ætas, harũ media. Mors uerò et interitus uiolentus quidem, caloris reſtinctio et marcor. His enim duab. cauſis interire poſſunt. Naturalis autem, huius ipſius languor et marcor, quẽ tẽporis lõginquitas affert et perfectio. Ac in ijs quidẽ quæ terra ex ſe fundit, ſiccitas, in animãtib. aũt mors uocatur. Huius porrò partis mors quã affert ſenectus, marcor eſt: quòd per ſenectutẽ refrigerare nõ poteſt. Quid ergo ortus ſit, qđ uita, quid mors, & quib. cauſis animãtibus conueniãt, diximus. Ex quib. etiã perſpicuũ eſt, cur animantia quæ ſpiritũ ducũt, in aqua ſuffocari ſoleant, et piſces in aëre. Hi enim aquæ, illa aëris adminiculo ad refrigerandũ utuntur, quib. utraq; locorũ mutatione priuãtur. Motus aũt cauſa in piſcibus brãchiæ ſunt, pulmo in cæteris: quorũ dilatatione & contractione hæc ſpiritum ducunt, & edunt, illi aquam recipiunt atq; mittunt.

Cap. 8. *Inſtrumenti aũt cõſtitutio eſt talis. Tria quidem in corde reperiũtur, quæ eandẽ habere naturã uidentur, nec habẽt, palpitatio, pulſus, reſpiratio. Palpitatio quidẽ eſt caloris qui in corde ineſt impulſio, propter refrigerationem*

gerationem quæ è materia ſuperuacanea, aut colliquā di uim habente naſcitur, ut fit in eo morbo qui tremor uocatur, alijsq; in morbis et in metu. ijs enim q in metu ſunt, extremæ partes refrigerari ſolent: calor autē qui pedetētim fugit et contrahitur, facit ut motus ita in an guſtū locum cōpellatur, ut interdū animantes metu affe ctioneq; quæ morbū parit, enecētur. Pulſus aūt qui cor di conuenit, quemq; perpetuare uidetur, ſimilis eſt ei motui, quem ulcera cum dolore afferunt, quòd contra naturam ſanguinis ea fiat mutatio. Exiſtit autē quoad ſanguis concoctus in pus ſe uertat. Eſtq; hic morbus fer uori perſimilis. Feruor enim tum eſt, cùm à calore a-qua intumeſcit. Attollitur enim propterea, quòd moles maior redditur & excreſcit. Sed ulceribus quidem & tuberculis exitus reperitur, cùm pus nō effluit, craßi-uſculo iam humore reddito. Feruor autē deſinit, cùm per os uaſis aqua decidit. In corde autem tumor humo ris, qui continenter ex alimento, caloris adminiculo ac cedit, pulſum gignit, extrema cordis membrana ſubla-ta: idq; perpetuum eſt. Influit enim humor continēter, ex quo ſanguinis natura efficitur. Primò enim in corde perficitur. Id quod à primo ortu perſpici poteſt. Tum enim quòd uenæ nondum diſtinctæ ſunt, cor ſanguinem habere cernitur, ob eamq; cauſam in admodum adole-ſcentibus maiore pulſu quàm in ſenibus agitatur. Ma-ior enim uis halituum adoleſcentibus exiſtit: & omnes uenæ inter ſe coagitātur, propterea quòd à corde pro-ficiſcantur. Quoniam autem cor perpetuo pulſu agita tur, illæ quoq; cōtinenter, & inter ſe ſimul pulſantur. Palpitatio ergo eſt pulſus qui ei impulſioni obſiſtit,

quã frigus affert. Pulſus autem humoris concaleſcentis inflatio et humor. Reſpiratio uerò tum exiſtit, cum ca lor augetur, in quo principium alendi ſitum eſt. Quē admodum enim cæteræ partes alimentum requirunt, ſic etiam illa, atq; adeò magis quàm reliquæ. præſertim cum alijs illa alimenti cauſa ſit. Cum ergo inſtrumentũ hoc maius redditum eſt, & amplius dilatetur neceſſe eſt. inſtrumenti autem conſtructio ſimilis illa quidem exiſtimanda eſt eſſe follibus, qui in officinis ærarijs ui dentur. (neque enim ab huiuſmodi figura multum cor & pulmo diſtant) ſed tamen duplex eſt. In medio e- nim naturalis facultatis, ea pars quæ nutricãdi mu nus habet, ineſſe debet. Ac ea quidem attollitur cùm excreuit: ea autem ſublata, ea etiam pars dilatetur neceſſe eſt, quæ illam continet: quod quidem ij qui ſpiritum ducunt, facere uidentur. Thoracem enim dila tant, quòd huius talis partis quod in eo ineſt, principi um hoc ipſum faciat. Cùm enim dilatatur, ut in folles, ſic in eam partẽ externum aera illabi neceſſe eſt, eũq; quoniam frigidus eſt, refrigerãdo maiorẽ ignis uim re ſtinguere. Vt autem cùm hæc pars creſcit, dilatatur: ſic & cùm diminuitur, contrahatur neceſſe eſt, et cùm contrahitur, exeat aer qui rurſum illapſus erat: ita ta- men, ut qui frigidus ingreſſus erat, calidus egrediatur eius caloris qui in hac parte ineſt, tactione, maximeq; in ijs animantibus, quæ pulmonem ſanguine præditum habent. Eũ enim in multas raritates quaſi canales pul monis influere oportet, quarũ ad quanq; uenæ ita per tinent, ut totus pulmo ſanguinis plenus eſſe uideatur. Vocatur autem aeris introitus, reſpiratio, exitus au-

tem expiratio: idq́; perpetuatur continua quadam uiciſsitudine, quamdiu hæc pars uiuit, atq; agitatur. ob eamq́; cauſam in ducendo edendoq́; ſpiritu uita conſiſtit. Eademq́; ratione piſcibus branchiarum motus & impulſus oritur. Cùm enim calor qui eſt in ſanguine, partibus ipſis attollitur, & ſurſum fertur, branchiæ quoq; attolluntur, aquamq́; admittunt. Cum autẽ per itinera & uias in cor delabitur, atq; refrigeratur, contrahuntur, aquàq; effundunt. Cum porrò is qui in corde ineſt, ſemper ſurſum fertur, eum rurſus refrigeratũ continenter recipit. Itaq; his quoq; uiuendi ac non uiuendi finis poſitus eſt in perpetua aquæ recipiendæ uiciſsitudine. Ac de uita quidem & morte, iJsq́; quæ cum hac diſputatione cohærent, ferè de omnibus dictum eſt. De ualetudine autem ac morbo non ſolum medici eſt, uerùm etiam phyſici uſq; ad cauſas diſſerere. Quid autem inter eos interſit, & quatenus in diuerſis reb. uerſentur, intelligendum eſt. quandoquidem finitimam eſſe utramque artem ad certum quendam finem ac terminum, res ipſa quam obſeruamus, declarat. Nam & medici omnes clari, illuſtres, aut ualde diligentes de iJs quæ naturam attingunt, diſſerunt, illincq́; principia aſſumunt: & clariſsimus quiſq; eorum qui naturam tractauerunt, ferè in medicinæ principiJs finem artis ſuæ ſtatuit.

FINIS.

IOACHIMI PERIONII IN LIBRVM ARISTOTELIS de Senſu & ijs quæ ſenſibus percipiuntur, Obſeruationes.

In primum Caput.

ARiſtotelis de Animo libros treis cum anno ſuperiore ederemus, inſtituti noſtri eſſe diximus, ea quæ antea alijs in libris notauiſſemus, non repetere, ijs de cauſis, quæ ibi expoſitæ ſunt. Itaq; ut inſtitutũ noſtrum perſequamur, hoc primùm notatione dignum uiſum eſt, quod inſcriptio declarat, Ἀριστοτέλους περὶ αἰσθήσεως καὶ αἰσθητῶν. Sic enim in græco habetur: cum omnes qui hunc libellum ante me conuerterunt, numero ſingulari αἰσθητοῦ legiſſe uideantur. Conuertunt enim omnes eodem numero, alij de ſenſato, alij de ſenſili. Quo autem modo ea nomina quæ in τὸν exeunt, conuertenda ſint, cùm alijs locis ſæpe, tum in libro de Optimo genere interpretandi longa ſanè oratione diximus: ibiq; docuimus, αἰσθητὸν ſenſile dici non oportere. nec uerò ad poetas, cum latinè loquendum eſt, ſic reuocandi ſumus, ut quod illi dixerint, nobis idem licitũ ſit dicere. Quod cum multis in uerbis nemo mihi negare poßit, nõ uideo, cur eorum in hoc alijsq; eiuſdẽ generis, mihi obijcere poßint auctoritatem. Qui ſi ita pertinaciter in hac ſua ueteri ſententia permanent, ab ea ut ulla ratione abduci non poßint, loquantur ſanè ut uolent, dummodo per eos nobis liceat Ciceronem, id eſt, bene & ornatè dicendi præceptorem imitari. Neq; enim aſinum à carduis & ſtramento ad aurum potes conuertere, & tamen idem nos ab auro reuocare non conatur. At non eſt ſimile, inquient iſti. Sanè dißimile eſt, fateor. Nam ſi qua ſimilitudo eſſet, id eſt, ſi aſinus aliqua ex

parte

parte rationis eſſet particeps, non eſſet mihi quidem dubium, quin aurum ſtramento anteponeret. Quæ enim rationis uis eſt, niſi ut bona à malis internoſcamus, & meliora anteponamus deterioribus? Quæ autem in quoq; genere meliora ſunt, niſi quæ à melioribus ſapiētioribusq; cuiuſq; artis & inſtituti hominibus probata ſunt? Quod ſi Cicero, cum de bene dicēdi ratione ac diſciplina quæritur, unus ita omnibus præſtat, ut eum unum optimum dicendi auctorem & ueteres omnes & poſteriores appellare non dubitauerint, eum qui ſequentur in hoc genere ducem, minimè aberrabunt. Ex quo intelligitur, quàm imperitè & præpoſterè faciant ij, qui legendis omnibus, non ſolum qui proſa oratione, ſed etiam uerſa aliquid ſcripſerunt, quædam uocabula eligunt & conſectantur, quorum uſum inuehentes, patrocinium uel inertiæ ſuæ, uel ignorationi, uel utriq; ſe inueniſſe gloriantur. Sed ad inſtitutum reuertamur. Quoniam numero multitudinis αἰσθητῶν inueni, eundem numerum in conuertendo mihi tenendum cenſui, dixiq;, De ijs quæ ſenſibus percipiuntur. ut Cicero in lib. 4. Academ. quæſt. Atqui qualia ſunt hæc quæ ſenſibus percipi dicimus, talia ſequentur ea quæ non ſenſibus ipſis percipi dicuntur, ſed quodammodo ſenſibus, ut hæc, Illud eſt album. & quæ ſequuntur. τὰ αἰσθητὰ enim & τὰ ἀναίσθητα his uerbis tranſtulit. Alijs enim modis dicere potui, ut ea quæ ſubijciuntur, aut ſubiecta ſunt, aut res quæ ſubiectæ ſunt ſenſibus, & quæ ſub ſenſum cadunt. Quæ quidem conuertendi genera, aliaq; quæ in libro quem paulo antè nominaui, expoſita ſunt, quis non facilè ac citò intelligat? Quis eſt contrà, qui illa duo, ſenſatum & ſenſile (nam ſenſibile mihi clarius uidetur) facilè intelligere poſſit, qui nō in philoſophia multum ſit diuq; uerſatus? Equidem fateor, me, cum ad hunc librum eo anno, qui eſt curriculi philoſophiæ ſtudioſis præſcripti conſtitutus tertius, acceſſiſſem, uix, aut

ne uix quidem illud ſenſatum intelligere potuiſſe.

Καὶ νεότης καὶ γῆρας: id eſt, Adoleſcentia & ſenectus.) νεότης ab alijs iuuentus etiam in eo libro qui περὶ νεότητος inſcriptus eſt, dicitur: à me autem adoleſcentia appellatur. Sic enim Cicero in libro de Senectute conuertit: Sunt pueritiæ certa ſtudia, num igitur ea deſiderant adoleſcentes? Sunt & ineuntis adoleſcentiæ, num ea iam conſtans requirit ætas quæ dicitur media? Sunt etiam huius ætatis, ne ea quidem in ſenectute quæruntur. Qui eum librum euoluet, is quàm crebrò adoleſcentiam & adoleſcentes dicat, & quàm rarò aut uix potius iuuentutem & iuuenes, intelliget. Comparat enim ferè adoleſcentem cum ſene, ut eo loco: At ſperat adoleſcens diu ſe uicturũ, quod ſperare ſenex non poteſt. Iuuentutem autem interdum dicit, ſed pro multitudine ferè adoleſcentum. ut eodem libro: Vt enim adoleſcentibus bona indole præditis ſapientes ſenes delectantur, leuiorq́; fit eorum ſenectus, qui à iuuentute coluntur & diliguntur: ſic adoleſcentes ſenum præceptis gaudent, quibus ad uirtutum ſtudia ducuntur. Interdum etiam pro ætate: ſed quoniã id perrarò facit, illud autem quod de adoleſcentiæ uerbo dixi, ſæpiſſimè, ita omnibus faciendũ cenſeo. Imitatio enim in ijs conſiſtit, quæ in eo quem imitari uolumus, & maiora & crebriora elucent. Quid enim infelicius ijs hominibus, qui ſi quod uerbum ſemel in Cicerone, aut in alio ſcriptore legerint, id ita crebris ſermonibus uſurpant, ut ab eo nunquam uelint diſcedere? Sed de hoc toto genere, in eo libro quem de Imitatione Ciceronis iamdiu meditor, plura dicemus.

Αἱ δὲ διὰ τῶν ἔξωθεν αἰσθήσεις, τοῖς πορευτικοῖς αὐτῶν, οἷον ὄσφρησις, καὶ ἀκοὴ, καὶ ὄψις, πᾶσι μὲν τοῖς ἔχουσι, σωτηρίας ἕνεκα ὑπάρχουσιν, ὅπως διώκωσί τε προαισθανόμενα τὴν τροφὴν, καὶ τὰ φαῦλα καὶ τὰ φθαρτικὰ φεύγωσι, τοῖς δὲ καὶ φρονήσεως τυγχάνουσι, τοῦ εὖ ἕνεκα: id eſt, Ii autem ſenſus, qui à re-

bus ex-

bus extrinſecus adhibitis oriuntur, ut odoratus, ut auditus, ut aſpectus, ijs animantibus quæ gradiuntur omnibus, quæ quidem ijs prædita ſint, conſeruationis ſalutisq́; cauſa dati ſunt, ut & præſentiendo paſtum quærant, & exitioſum peſtiferumq́; declinent. Iis autem quæ etiam prudentia prædita ſunt, ſenſus eoſdem natura attribuit ornatus dignitatisq́; cauſa.) σωτηρία *hoc loco, id eſt conſeruatio, ad neceſſitatem refertur, &* τὸ εὖ *ad id quod neceſſarium eſt. Itaque* τοῦ εὖ ἕνεκα, *ad ornatum dixi: quemadmodū pauoni caudam Cic. ad ornatū datam eſſe dicit, quædamq́; mēbra homini, in tertio de Finibus lib. Alia autem nullam ob utilitatē, ſed quaſi ad quendam ornatum: ut cauda pauoni, plumæ uerſicolores columbis, uiris mammæ atq; barba.* τὸ φαῦλον *&* τὸ φθαρτικὸν *&* λυπηρὸν, *Cicero cum ad paſtū & cibum refertur, peſtiferum & exitioſum dicit, ut* ἡδὺ καὶ ἀγαθὸν *ſalutare. In ſecundo de Natura deorum: Beſtijs autem ſenſum & motum dedit, & cum quodam appetitu acceſſum ad res ſalutares, à peſtiferis receſſum. Eodem libro: Dedit autem eadem natura belluis & ſenſum & appetitum, ut alter o conatum haberent ad naturales paſtus capeſſendos, altero ſecernerent peſtifera à ſalutaribus. Ego legendum puto in priore membro, Ad ſalutares paſtus: & in poſteriore, maſculino genere, peſtiferos, quoniam paſtus nomen anteceſſit. Quod autem ait Cicero, ſecernerent, eſt apud Ariſtotelem hoc in libro ſuperiore comprehēſione,* διακρίνειν. τὸ γὰρ ἡδὺ διακρίνει αὕτη καὶ τὸ λυπηρὸν περὶ τὴν τροφήν: *id eſt, Hic enim ſenſus ſalutarem cibum à peſtifero ſecernit. Dicit interdū ſecernit, ſed internoſcere et ſecernere ſæpius.*

In ſecundum Caput.

Ποιοῦσι δὲ παντοδαπὴν τὴν ὄψιν πυρός, διὰ τὸ πάθους τινὸς ἀγνοεῖν τὴν αἰτίαν. θλιβομένου γὰρ καὶ κινουμένου τοῦ ὀφθαλμοῦ, φαίνεται πῦρ ἐκλάμπειν. τοῦτο δὲ ἐν σκότει πέφυκε συμβαίνειν, ἢ τῶν βλεφάρων ἐπικεκαλυμμένων: id eſt, Faciunt autem omnes

aſpectum uim naturamq; igneam imitari, quòd cauſam alicuius effectus ignorent. Cum enim premitur, torqueturq; oculus, tum ignis ſpecies elucere ac prodire uidetur: quod in tenebris, uel cum palpebræ obductæ ſunt, ſolet contingere.) Cicero quiddam ſimile dicit in quarto Academicarum quæſtionum libro: Itaq; Timagoras Epicureus negat ſibi unquam, cum oculum torſiſſet, duas ex lucerna flammulas eſſe uiſas. θλίβεσθαι autem comprimi dicitur, & στρέφεσθαι hoc loco torqueri. Sic enim hoc accidit. πάθος autem hoc loco euentus & effectus ualet. Eſt enim id quod à cauſa efficiente fit.

ἐπεὶ εἴ γε πῦρ ἦν, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς φησι, καὶ ἐν τῷ Τιμαίῳ γέγραπται, καὶ συνέβαινε τὸ ὁρᾶν ἐξιόντος, ὥσπερ ἐκ λαμπτῆρος τοῦ φωτὸς, διὰ τί οὐ καὶ ἐν τῷ σκότει ἑώρα ἂν ἡ ὄψις. τὸ δ᾽ ἀποσβέννυσθαι φάναι ἐν τῷ σκότει ἐξιοῦσαν, ὥσπερ ὁ Τιμαῖος λέγει, κενόν ἐστι παντελῶς, &c. id eſt, Alioqui ſi ignis eſſet, quemadmodum & Empedocli placet, & in Timæo ſcriptum eſt, aſpectuſq; exeunte quaſi ex lucerna lumine eueniret, cur etiam in tenebris oculi non cernerent? Nam aſpectum extingui dicere in tenebris, cũ exit, id quod Timæus confirmat, prorſus nihil eſt, &c.) Ariſtoteles hoc loco Empedoclis & Platonis ſententiam de ratione aſpectus refellit. Et Empedoclis quidem uerſus, quibus mentem ſuam de hac re explicauit, paulo infrà affert. Platonis autem uerba non protulit. Itaque ex Timæo non erit alienum proferre. Sunt autem in poſteriore loco uacuo, eorum quæ in Cicerone deſiderantur: quem totum locum & ſuperiorem conuertimus, cum Obſeruationes in eum Ciceronis librũ, qui de Vniuerſitate uulgò inſcriptus eſt, edidimus. Sunt autem hæc uerba Platonis ex Timæo, τῶν δὲ ὀργάνων πρῶτον μὲν φωσφόρα συνετεκτήναντο ὄμματα τοιᾷδε ἐνδήσαντες αἰτίᾳ, τοῦ πυρὸς ὅσον τὸ μὲν κάειν οὐκ ἔσχε, τὸ δὲ παρέχειν φῶς ἥμερον, οἰκεῖον ἑκάστης ἡμέρας σῶμα ἐμηχανήσαντο γίγνεσθαι. τὸ

γὰρ ἐντὸς

γὰρ ἐντὸς ἡμῶν ἀδελφὸν ὂν τούτου πῦρ ἐποίησαν διὰ τῶν ὀμμάτων ῥεῖν λεῖον καὶ πυκνόν. ὅλον μὲν, μάλιστα δὲ τὸ μέσον ξυμπλήσαντες τῶν ὀμμάτων. ὥστε τὸ μὲν ἄλλο, ὅσον παχύτερον στέγειν πᾶν. τὸ τοιοῦτο δὲ μόνον αὐτὸ καθαρὸν διηθεῖν. ὅταν οὖν μεθημερινὸν ᾖ φῶς, περὶ τὸ τῆς ὄψεως ῥεῦμα, τότε ἐκπῖπτον ὅμοιον πρὸς ὅμοιον ξυμπαγὲς γενόμενον, ἓν σῶμα οἰκειωθὲν ξυνέστη κατὰ τὴν τῶν ὀμμάτων εὐθυωρίαν, ὅπῃπερ ἂν ἀντερείδῃ τὸ προσπῖπτον, ἔνδοθεν, πρὸς ὃ τὸ ἔξω ξυνέπεσεν. ὁμοιοπαθὲς δὴ δι' ὁμοιότητα πᾶν γενόμενον, ὅτου τε αὐτό ποτε ἐφάπτηται, καὶ ὃ ἂν ἐκείνου τούτῳ τὰς κινήσεις διαδιδὸν, εἰς ἅπαν τὸ σῶμα μέχρι τῆς ψυχῆς αἴσθησιν παρέσχετο ταύτην, ᾗ δὴ ὁρᾶν φαμέν. ἀπελθόντος δὲ εἰς νύκτα τοῦ συγγενοῦς πυρὸς ἀποτέτμηται. πρὸς γὰρ ἀνόμοιον ἐξιὸν ἀλλοιοῦταί τε αὐτὸ καὶ κατασβέννυται: id eſt, Membrorũ autem primùm oculos luciferos fabricati ſunt, eosq; hac de cauſa colligarunt. Quicquid ignis minimè incendit, lumenq; ſuaue præbet, ſnum cuiq; diei & proprium eſſe uoluerunt. Nam qui in corporibus noſtris inſitus eſt ignis, huius germanus, eum Deus liquidum & purum ab oculis fluere ac labi uoluit, cum id omne quod in oculis læue ac denſum & ſolidũ eſt, ac multo magis quod medium eſt, expleuiſſet. Ita quod in illis eſt craſſius, id omne cohibitum: quod rarius & purius, ſolum euolauit. Cum igitur lumen diurnum in oculorum radios diffunditur, tum par ac ſimilis ignis cum ſimili fuſus & concretus, unum corpus aptum ac familiare cum illo efficit, oculorum acie in eum locum rectè intenta, quo loco ignis interioris & ignis externi fit concurſio. Ita totum lumen conſenſione quadam, mutuaq; conuenientia, cum adeptum eſt propter ſimilitudinem, quicquid arripuerit, aut quicquid ipſum, id cum pulſu agitauit in omni corpore uſq; ad animũ, ſenſum eum quo cernimus excitat: cum uerò noctu cognatus ignis abſceſsit, diſsipatur. Nam ad ignem alterius generis erumpens, ipſe commutatur & extinguitur, &c. Atq; hæc Plato: quibus

cum Ariſtotelis uerbis collatis, facilior erit huius loci ſententia.

In tertium Caput.

ἐνδέχεται μὲν καὶ παράλληλα τιθέμενα τὸ λευκὸν καὶ τὸ μέλαν, ὥστε ἑκάτερον ἀόρατον εἶναι διὰ σμικρότητα, τὸ δὲ ἐξ ἀμφοῖν ὁρατὸν οὕτω γίγνεσθαι: id eſt, Fieri enim poteſt, ut etiã inter ſe ita candor & nigror componantur & miſceantur, ut neuter propter paruitatem ſub aſpectũ cadat: is autem qui ex utroq; temperatus concretusq; ſit, ita deniq; cernatur.) παράλληλα τίθεσθαι τὸ λευκὸν καὶ τὸ μέλαν, non iuxta ſe poni, ſed inter ſe componi & miſceri, ſeu temperari, hic dicendum arbitror: non ſolum quia illud latinum non eſt, ſed quia hoc loco de compoſitione & temperatione colorum Ariſtoteles agere incipit, quot modis ipſi inter ſe, ueterum ſententia, ut nonnullis placet, miſceri temperariq; poſſint. Duobus enim modis miſceri dicit hoc loco, uno τῷ τῇ παράλληλα θέσει, quod ueteres de minimis coloribus, qui per ſe non mouent ſenſum, intelligebant, mixti autem mouent: altero, cum multi ita miſcentur, temperanturq; inter ſe, ut unus emineat. τὴν τῇ παράλληλα θέσιν, colorum inter ſe compoſitionem temperationemq; dico. Quanquam hoc etiam dici poteſt, colores inter ſe comparari: idq; declarat, quod paulo infrà tertio ferè uerſu dicit, μία γὰρ πρὸς δύο, καὶ μία πρὸς τέσσαρα, καὶ κατ' ἄλλους ἀριθμούς ἐστι παράλληλα κεῖσθαι. Proportionem enim his uerbis, quam λόγον paulo antè uocat, intelligit.

Λόγος γὰρ ἂν εἴη τις τῶν ἐπιπολῆς πρὸς τὰ ἐν βάθει: id eſt, Præſertim cum eorũ qui eminent, cum ijs qui ſubiecti ſunt, quædam ſit comparatio & proportio.) τὸ ἐπιπολῆς χρῶμα, color is dicitur in temperatione, qui eminet. Cicero in quarto Academicarũ quæſtionum libro: Quàm multa uident pictores in umbris & in eminẽtia, quæ nos non uidemus? ἐπιπολὴν & ὑπόφασιν eminentiam mihi uidetur dicere.

cere. In alijs etiam extare dicitur. τὸ δ' ἐν βάθει χρῶμα, uel ὑποκείμενον (ſic enim etiam eum uocat colorem hoc loco) eum appellat, qui ſubiectus eſt alteri. quod faciũt pictores, qui, ut ipſe ait hoc loco, ἑτέραν χρόαν ἐφ' ἑτέραν ἐναργέστεραν ἐπαλείφουσι, id eſt, alium colorem in alium euidentiorem inijciunt & inducunt.

Σχεδὸν γὰρ ἴσα καὶ τὰ τῶν χυμῶν εἴδη καὶ τὰ τῶν χρωμάτων ἐστίν. ἑπ]ὰ γὰρ ἀμφοτέρων εἴδη αὖ τις θείη, ὥσπερ εὔλογως τὸ φαιὸν μέλαν τι εἶναι. λείπεται γὰρ τὸ ξανθὸν μὲν τοῦ λευκοῦ εἶναι, ὥσπερ τὸ λιπαρὸν τοῦ γλυκέως· τὸ φοινικοῦν δὲ, καὶ ἀλουργὸν, καὶ πράσινον, καὶ κυανοῦν, μεταξὺ τοῦ λευκοῦ καὶ τοῦ μέλανος· τὰ δ' ἄλλα μικ]ὰ ἐκ τούτων: id eſt, Ferè enim totidem ſunt ſaporum genera, quot colorum. Septem enim genera utraq; ex parte conſtitui poſſunt, ut rectè fuſcum nigrum quendam colorem eſſe dicamus. Ita relinquitur, rutilum albi genus eſſe, ut pinguem ſaporem dulcedinis. Phœnicius autem, purpureus, praſinus, & cæruleus, medium locum inter album nigrumq; obtinent. Alij uerò ex his mixti temperatiq; ſunt.) Ariſtoteles idem in ſecundo de Animo libro, octo ſaporum genera eſſe uult, cum hoc loco ſeptem tantũ faciat. Quod ne quis ei ut minimè ſibi conſtanti obijceret, paulo ſuprà ſecundo ferè uerſu ſalſum & amarum ferè idem ualere dicit his uerbis, τὸ δ' ἁλμυρὸν καὶ πικρὸν σχεδὸν τὸ αὐτό. Itaq; quod ibi de numero quem tradit, dixi, in eo rationem habui libri quem interpretabar. Nunc autem ſeptem tantum eſſe, ut ſaporum, ſic colorum genera, ſuperiore adhibita diſtinctione dicamus. In numero igitur utriuſque & ſaporis & coloris generum, Theophraſtus Ariſtotelis præceptoris ſecutus eſt & ſententiam & auctoritatem. Is enim in ſexto de Cauſis eorum quæ terra ex ſe fundit, idem iiſdem ferè uerbis cõfirmat, quæ in libris de Animo protuli. Atq; hoc quidem loco Ariſtoteles ſeptem colorum genera facit ille quidem, ſed non prima. Idq; ex eo facilè intelligi poteſt,

quòd ξανθὸν albi eſſe dicit: φοινικοῦ uerò, ἁλουργὸν, πράσινον, & κυανοῦν, ex albo nigroq́; conſtare. Itaque duo ſunt prima genera coloris, albus & niger: ſecunda quinq́; qua ſequuntur: extrema penè innumerabilia, eorum qui ex ſuperioribus uel omnibus, uel aliquibus mixti temperatiq́; ſunt. Ac prima quidem genera ex eo ſumuntur, quòd candor & nigror extrema ſunt cōtraria. Secunda autem, ex eo quòd ex albo & nigrô ſint, ut contrarijs, quæ alia interiecta habeant. Extrema uerò quòd ex illis omnibus, uel aliquibus. In libro autem de Coloribus, duo colorum genera facit: alterum eorum qui ſimplices ſint, alterum qui ex ijs temperentur. Simplices ex elementis intelligit, ut album, & nigrum, & rutilum, uel ut alij interpretantur, flauum. Aera enim, aquam & terram natura ſua alba eſſe, ignem rutilum: nigrorem autem colorem comitem elementorum eſſe, cum aliud ex alio oritur. Cæteros autem colores concretos mixtosq́; ex his tribus eſſe ponit. Atq́; hæc quidem de colorum generibus. Quo autem nomine uel appellandi ſint, uel ex græco in latinum uertendi, nemini in dubium uenire poteſt, ſi de albo & nigro, id eſt λευκῷ καὶ μέλανι, quæratur. Sunt autem alij permulti, qui dubitationem afferant: ueluti τὸ ξανθὸν χρῶμα alij flauum dicunt, ego cum Plinio rutilum appello. Is enim uertens ea omnia quæ Ariſtoteles in nono de Hiſtoria animalium, cap. 32. de aquilarum generibus tradit, ὑμιόλιος χρῶμα ξανθὸς, transfert, colore ſubrutilo. Quis autem color ſit ξανθὸς, ex eodem in libro de Coloribus intelligere poſſumus. Ait enim & ignem & ſolem & lixiuium ξανθὰ eſſe, quoniam ſub aſpectū noſtrum cadunt, facilè quis eorum ſit perſpicimus. Idem Plinius ξανθὸν rufum dicit, transferens id quod Ariſtoteles de merula tradit eodem libro, οἷον ὁ κόττυφος ἀντὶ μέλανος ξανθός. His enim uerbis hoc totum interpretatur, Merula ex nigra rufeſcit. Quinetiam hunc colorem fuluum dicit interdum, ut

13. lib.

13. lib. cap. 9. uertit, χρῶμα δ' ἐπίξανθον, color fuluus. Quo quidem loco libet interim errorem corrigere, non animaduerſum ab Hermolao Barbaro, etſi conatus eſt corrigere. Apud Theophraſtũ ita ſcriptũ eſt, τὸ δὲ καλούμενον κουκιόφορον ἐστὶν ὅμοιον τῷ φοίνικι. Apud Plinium, quem quaſi ad limam Barbari correctum, Venetijs impreſſum habeo, ita hæc uerba uerſa ſunt, At è diuerſo cuty in magno honore palmæ ſimilis. Quæ quidem oratio cum ea unde fluxit, collata, non eſt dubium quin corrupta ſit. Legendum eſt igitur, ut facilè intelligi poteſt, At cuciophoros in magno honore, palmæ ſimilis: niſi fortè neutrũ poſuit ut Theophraſtus, ſic Plinius. Hermolaus autem Barbarus, cum uulgò ita legi dicat, At è diuerſo cinus: legendum eſſe dicit, At è diuerſo cuci: quod mihi permirum uidetur, præſertim cum ita legendum ex Theophraſto cenſeat. Multa ſunt alia apud Plinium deprauata eodẽ modo, nec ab Hermolao correcta, nec animaduerſa: quæ non ita multo pòſt, Deo iuuante, diuulgabimus. Sed ad inſtitutum reuertamur. ξανθὸν ergo & rutilũ, & rufum, & fuluum dicere poſſumus: non quòd, mea quidem ſententia, ijdem ſint hi omnino, ſed quòd parua eorum diſſimilitudo ſit. Nam πυῤῥὸν propriè rufum colorem dicimus, & græcum uerbũ Galli retinemus, cum bur & bureau dicimus, π in β medium, & υ in u, ut ferè fit mutatis literis. Itaq; idem Plinius uertens illud Ariſtotelis ex nono de Hiſtoria animalium, δύο μὲν ἡγεμόνων, ὁ μὲν βελτίων πυῤῥὸς, ὁ δ' ἕτερος, μέλας καὶ ποικιλώτερος, πυῤῥὸν eodem modo cõuertit lib. 11. Duo autem genera eorum, melior rufus, quàm niger uariuſq;. Quod autẽ dixi, ita eſſe, hinc intelligi licet, quòd cum multa ſint uiridis coloris genera, ſæpe unum pro altero rectè dicimus. Multa de ijſdem dicere poſſum, ſed hæc ſatis multa ſunt hoc loco. Itaque ad alios ueniendum eſt. τὸ φοινικοῦν phœniceum cum Gellio dicotalij puniceum uocant. Quis autem is color ſit, docet Ariſtoteles

ſtoteles eo libro quem paulo antè nominaui, id eſt, in libro de Coloribus. Ait enim, nigrum colorem & obſcurum, ſi lumini admiſceatur, eſſe φοινικοῦν. Idq; hinc intelligi dicit, quòd nos nigrum colorem & ſolis & ignis luci admixtũ, ſemper φοινικοῦν cernere & animaduertere ſoleamus, & quòd nigra omnia cum igne exuſta ſunt, ut prunæ & flammæ in focis & fornacibus, eo colore ſuffuſa uideãtur. Itaq; *phœniceum colorem rubri genus quoddã eſſe intelligimus, qualis in prunis & flamma loco obſcuro cernitur.* Nec ui*deo, cur non flammeum eum latinè poßimus dicere, quem* φλογοειδὲς *idem paulo infrà eodem libro appellat: quanquam aliquid intereſſe uult.* Sequitur τὸ ἀλουργὸν, *quod eodem libro paulo infrà* πορφυροειδὲς *appellat.* Purpureus au*tem is color dicitur à nobis.* De *alijs autem rubri generib. alio loco dicendum erit.* Nunc *enim de ijs tantum, quibus hoc loco* Ariſtoteles *uſus eſt, inſtitui dicere.* Sequitur τὸ πράσινον χρῶμα, *quod ſimplici ſ, ut græcum eſt, cum* Pli*nio latinum facio.* Itaq; *errant qui duplici ſcribunt. qui eorum error ex eo coargui facilè poteſt, quod à* πράσου, *id eſt porro ducitur.* Plinius *lib.37. qui extremus eſt, Sagdam, inquit, Chaldæi adhæreſcentem nauibus habent, inuenitur praſini coloris.* Interdum *latinum dicit nomen, id eſt, porraceum. ut paulo ſuprà, eodem libro:* Eumetren Beli *gemmam ſanctißimi deorum ſibi Aßyrij appellant porracei coloris, ſuperſtitionibus gratam. genus eſt hoc uiridis coloris, qualis in porro cernitur.* Nos Galli *nomen græcum traiecta una litera retinemus.* Hunc *enim colorem pars, uel pers dicimus.* Viridis *autem color, qui omnium genus eſt,* ποῶδες *dicitur. quod ut intelligi poßit,* Plinij *locum &* Theo*phraſti proferam.* Theophraſtus *quidem in quarto* περὶ φυτῶν, *loquens de phyco,* τ γὰρ φυκὸς τὸ μέν ἐστι πλατύφυλλον ταινιοειδὲς, χρῶμα ποῶδες ἔχον, ὃ δὴ καὶ πράσον καλοῦσί τινες, οἱ δὲ ζωστῆρα. Plinius *autem hæc conuertit hoc modo:* Fo

ha

lia lata colore uiridi gignit, quod quidam praſon uocant, alij zoſtera. ποῶδες *autem* χρῶμα *interdum uerbum è uerbo herbaceum colorem, interdum herbidũ appellat. Chloron autem colorem falſo nonnulli uiridem dicunt: Plinius modò luteum, modò flauum appellat. Ex quo falſum id intelligitur, quod antè dixi,* ξανθὸν *flauum à nonnullis nominari. In 37. libro, qui idem ultimus eſt: Melichloron eſt, inquit, geminus, parte flauus, parte melleus. Non eſt dubium, quin chloron in hoc uocabulo iunĉto, flauum nominet. Alio loco perſpicuè luteum uocat. Cum enim Ariſtoteles nono libro de Hiſtoria animalium, quo ſit colore auis, quæ ut græcè, ſic latinè chlorion dicitur, exponit, id quod ipſe ait,* ὁ δὲ χλωρίων ὅλος, *&c. Plinius trãsfert his uerbis in decimo: Chlorion quoq;, qui totus luteus, hyeme non uiſus, circa ſolſtitia procedit. Hanc autẽ auem à colore luteo appellatam eſſe arbitror: quo eam nomine Galli, detracta prima litera, appellamus. Ea enim eſt, ut opinor, quam Lorio ſolemus dicere. Supereſt* τὸ κυανοῦν, *quem colorẽ Plinius tum cæruleum, tum cyaneũ dicit. Viridis hic quoddã eſt genus.*

ἔτι δὲ τὸ ὀξὺ καὶ τὸ ἀμβλὺ τὸ ἐν τοῖς ὄγκοις, κοινὰ τῶν αἰσθήσεών ἐστι· εἰ δὲ μὴ πασῶν, ἀλλ' ὄψεώς γε καὶ ἁφῆς: *id eſt, Præterea quæ acuta ſunt & retuſa in magnitudinibus, ea ſenſuum ſunt, ſi minus omniũ, at certè aſpectus & tactus communia.) Quod eleganter dicimus, Si non, uel ſi minus, priore loco: & poſteriore, At certè: id à Græcis* εἰ μὴ, ἀλλά γε *dicitur.*

In quintum Caput.

Οὐ γὰρ μόνον ἐν ἀέρι, ἀλλὰ καὶ ἐν ὕδατι τὸ τῆς ὀσφρήσεώς ἐστι. δῆλον δ' ἐπὶ τῶν ἰχθύων καὶ ὀστρακοδέρμων: *Neq; enim in aere modò, uerùm etiam in aqua odoratus uerſatur: idq; in piſcibus, & ijs quæ teſta obducta ſunt, animaduerti licet.)* ὄσφρησις *odoratus à Cicerone tantũ dicitur, ab alijs etiam olfactus. Contrà ille* ὀσφραίνεσθαι *olfacere dicit, non odorari.*

rari. ὀστρακόδερμον *dico tectum ſiue obductum teſta, ſiue tè ſtacco corio. Aemylius enim Probus* ὄστρακον *teſtā appellat.*

Διὸ καὶ περιττώματα γίνεται τῆς τροφῆς, ἢ ἐν αὐτοῖς, ἢ ἔξω, ὥσπερ τοῖς φυτοῖς : *id eſt, Itaq; cibi reliquiæ uel in nobis ipſis, uel extra nos, ut in ijs quæ oriuntur è terra, eueniunt.)* περιττώματα *in cibis uulgò excrementa dicuntur: ut* ἐκκρίνεσθαι, *excerni. Cicero autem reliquias cibi,* περιττώματα *dicit, &* ἐκκρίνεσθαι *depelli. In ſecundo de Natura deorum: Quemadmodum autem reliquiæ cibi depellantur, tum aſtringentibus ſeſe inteſtinis, tum relaxantibus, haud ſanè difficile dictu eſt: ſed tamen prætereundum eſt, ne quid habeat iniucunditatis oratio.*

In ſextum Caput.

Τὸ μὲν οὖν συνεχὲς εἰς ἄπειρα τέμνεται ἄνισα, εἰς δ' ἴσα πεπερασμένα: *id eſt, Ac cohærens quidem & continuata natura infinitè in partes inæquales ſecatur, in pares autem certo numero comprehenſas.)* τέμνεσθαι & διαιρεῖσθαι εἰς ἄπειρον, *ſecari & diuidi infinitè Cicero dicit, non in infinitum. Locus eſt in primo Academicarum quæſtionum libro: qui quoniam cōmodius, cum libri de Naturā edentur, proferetur, ad illud tempus differendum eſt.* τὸ συνεχὲς *dici à Cicerone cohærentem & continuatam naturam, alio loco docui.*

IN LIBRVM DE MEMORIA & Recordatione, Ioachimi Perionij Benedictini Cormœriaceni Obſeruationes.

In primum Caput.

Οὐ γὰρ οἱ αὐτοί εἰσι μνημονικοὶ καὶ ἀναμνηστικοί, ἀλλ' ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μνημονικώτεροι μὲν οἱ βραδεῖς, ἀναμνηστικώτεροι δὲ οἱ ταχεῖς καὶ εὐμαθεῖς: *id eſt, Neq; enim ijdem memoria & recordatione pollent: ſed ferè tardi, memoria præſtant, recordatione autem celeritate ingenij præditi & dociles homines.)*

mines.) De uocabulis in κὸς *exeuntibus, multa dixi in libro de Optimo genere interpretandi.* μνημονικὸς *ergo dicetur, qui ualet & pollet memoria, & qui excellit & praeſtat. & qui magna eſt memoria, & qui magna eſt & ſingulari memoria praeditus. Eum etiam dicemus, in quo eſt magna, excellens, & ſingularis memoria.* ἀναμιμνήσκεσθαι, *reminiſci & recordari rectè dici poteſt.* ἀνάμνησις *autem recordatio tantum, non etiam reminiſcentia latinè dici poteſt. Itaq; libellus hic de Memoria & reminiſcentia antea inſcriptus erat, à me de Memoria & recordatione inſcriptus eſt. Sic enim Cicero* ἀνάμνησιν *recordationem dicit ſemper, nunquam reminiſcentiam, cum ſaepe reminiſci dicat* ἀναμιμνήσκεσθαι. *In primo quaeſtionum Tuſculanarum libro, de animo diſſerens: Habet, inquit, primùm memoriã, & eam infinitam rerum innumerabilium, quam quidem Plato recordationem eſſe uult uitae ſuperioris. Paulo infrà, quinto ferè & ſexto uerſu, bis reminiſcendi uerbo utitur.*

ἡ γὰρ γινομένη κίνησις ἐνσημαίνεται, οἷον τύπον τινὰ τοῦ αἰσθήματος, καθάπερ οἱ σφραγιζόμενοι τοῖς δακτυλίοις: *Motio enim ea quae oritur, conſignat quaſi notam quandam ſenſorum: quemadmodum ij qui aliquid obſignant, annulis faciunt.)* ἐνσημαίνεσθαι *hoc in loco ſignare & conſignare dicendum eſt. Itaque* ἐνσημαίνεσθαι τύπον ἐν τῇ ψυχῇ, ἢ νῷ, *ſignare & conſignare, & imprimere in animo notam, aut ueſtigium, Cicero dicit. In primo quaeſtionum Tuſculanarum libro: An imprimi quaſi ceram animum putamus, & memoriam eſſe ſignatarum rerum in mente ueſtigia? quae poſſunt uerborum, quae rerum ipſarum eſſe ueſtigia? Paulo ſuprà, decimo ferè uerſu, loquẽs de Socrate: Docet enim quemuis, &c. Nec uerò fieri ullo modo poſſe, ut à pueris tot rerum atq; tantarum inſitas & quaſi cõſignatas in animis notiones, quas* ἐννοίας *uocant, haberemus, niſi animus, antequam corpus intraſſet, in rerum cognitione uiguiſſet.*

guiſſet. Quod ait Cicero inſitas, Ariſtoteles paulo infrà ἐγγινομένας uocat. ἴχνος autem propriè ueſtigiũ dicitur: ſed tamen in hac re τύπος rectè ueſtigiũ & nota dici poteſt. Itaq; id quod re abſente, quæ ſenſu aut animo percipitur, à motu animi genitum remanet, ſimile eſſe dicit ei rei, quam annulus, cum ex cera detractus eſt, relinquit. id autem ueſtigium rectè dicitur. Species etiam & ſimulacrũ id ipſum rectè dici poteſt. Hoc *etiam* φάντασμα & φαντασίαν hoc *loco* Ariſtoteles *appellat, id eſt, ſpeciẽ rei quæ animo obijcitur, uel occurrit. quod etiam uiſum & uiſionem* Cicero, *ut alio loco docui, transfert.* Sed *hoc intereſſe uult* Ariſtoteles *inter uiſum & notitiam rei, quòd* διάγνωμα, *ſiue* διωγία, *id eſt notitia, per ſe conſideratur, ut aliquid eſt, id eſt qualitas quædã:* φάντασμα *autem ad aliam rem refertur, cuius eſt quaſi ſimulacrum.* Ita *hæc duo unum atque idem eſſe uult, ſed ita, ut ratione & cogitatione differre cenſeat.* Sed *rei illuſtrandæ cauſa ordinem quendam eorum quæ animo & ſenſibus percipimus, age ponamus.* Fingamus *aliquem hominem, exempli cauſa,* Petrum *aſpectui noſtro obijci, ſtatim notitia quædam* Petri *in oculo noſtro imprimitur, quæ* Petrum *nobis ut præſentem ſignificat.* Ea *quidem* αἴσθησις, αἴσθημα, πάθος, & κίνησις *dicitur alia atq; alia ratione.* αἴσθησις *quidem &* αἴσθημα, *quòd ſenſu percipiatur:* πάθος, *quòd moueatur eo corpus atque animus, & quaſi afficiatur accipiẽdo:* κίνησις, *quòd animum moueat.* Ac Petro *quidem præſente, non eſt id quidem dubiũ, quin eius ſit notitia.* Eo *autem abſente, aliquandiu manet, ſed euaneſcit pedetentim. id quod animaduertere ſoliti ſumus, cum ſolem contuemur.* Aliquandiu *enim etiam inuitis nobis luminis quædam ſpecies in oculis noſtris remanet.* Ea *uerò ſenſus perceptio, quam motum appellari dixi, in animo, & ea animi parte, in qua communis ſenſus ineſt, quandam ſpeciem rei ſenſu perceptæ gignit, quæ* πάθος *etiam dicitur.*

dicitur. Hoc *mihi uidetur id eſſe, quod in categorijs* Ariſto*teles* Διάθεσιν *appellat, id eſt, inchoatam quandam qualitatem : quæ dum perfecta eſt,* ἕξις, *id eſt habitus uocatur.* Itaq; *huius ipſius* ἕξιν, *memoriam idem hoc loco appellat.* Cum *enim exempli cauſa,* Petrum *me primùm uidiſſe memini, inchoata illa qualitas mentem meam mouet (excludo enim hoc loco ſenſa quæ ex rebus ſimilibus hauriuntur) cogitantis de* Petro. Quod *cum ſæpe fit, tum ea animi perceptio, quæ principiò imbecilla erat, ſenſim & pedetentim corroboratur & confirmatur, tandemq́; habitus dicitur.* Quanquam *non neceſſe eſt de re cogitare aut quærere.* Sæpe *enim ne cogitantibus quidem, aut de alijs cogitantibus, res aliæ nobis occurrunt : quod multis modis fieri ſolet.* Sed *de memoriæ propria origine hoc loco dicimus.* Quòd *& ſi in memoriam nobis aliquid redire uelimus, id cogitatione & meditatione aſſequemur, id eſt, ſæpe qualitatem illam conſiderantes, non per ſe, ſed qua ex parte alterius ſimulacrum eſt.*

In ſecundum Caput.

Πρῶτον μὲν οὖν ὅσα ἐν τοῖς ἐπιχειρηματικοῖς λόγοις ἐστὶν ἀληθῆ, δεῖ τιθέναι ὡς ὑπάρχοντα. ὅτι γὰρ μνήμης ἐστὶν ἀνάληψις, ἡ ἀνάμνησις, ὅτι λῆψις. ὅταν γὰρ τὸ πρῶτον ἢ μάθῃ ἢ πάθῃ, ὅτι ἀναλαμβάνει μνήμην οὐδεμίαν, οὐδεμία γὰρ προγέγονεν, οὔτ᾽ ἐξ ἀρχῆς λαμβάνει : *id eſt,* Principiò *ea omnia quæ in libris ijs quibus de argumentis diximus, uera ſunt, ponenda ſunt ut uera.* Neq; *enim recordatio, memoriæ repetitio neque ſuſceptio eſt : propterea quòd cum primùm aut didicit quis, aut animi affectionem ſuſcepit, nec memoriam ullam repetit (nulla enim anteceſſit) nec ab initio percipit.)* ἐπιχειρηματικοὶ λόγοι, *de quibus hic dicit* Ariſtoteles, *à me libri in quibus de argumentis dictum eſt, uocantur.* Atque *ij uel non extant, uel certè ſunt* τὰ ἀναλυτικὰ, *in quorum poſterioribus multa de memoria & recordatione differit.*

Mihi

Mihi autem hoc loco Ariſtoteles Platonis in Menone de recordatione & memoria ſententiam refellere uidetur. ἀναλαμβάνειν repetere & recognoſcere dicitur, ex quo ἀνάληψις, id eſt repetitio uel recognitio. ἀναμιμνήσκεσθαι & ἐπαναμιμνήσκεσθαι, reminiſci & recordari, ex quo ἀνάμνησις, id eſt recordatio.

ἔτι δ' ὅτι τὸ πρῶτον ἐγγένει, ἐν τῷ ἀτόμῳ καὶ ἐσχάτῳ. τὸ μὲν πάθος ἐνυπάρχει τῷ παθόντι, ἤδη καὶ ἡ ἐπιστήμη: id eſt, Præterea cum primùm ſuſcepta nataq; eſt. in ultimo puncto tēporis, motus animi in eo qui pulſus eſt, naſcitur, iamq; ineſt ſcientia.) Illud ἤδη καὶ traiectum mihi uidetur, ut legendum ſit καὶ ἤδη, id eſt, & iam, uel ac tum demum, aut deniq;. Eodem modo in his, καὶ ἢ, factum eſt, paulo infrà, duodecimo ferè uerſu: legendum eſt enim ἢ καὶ, id eſt, aut etiam. Oratio tota ſubijcienda eſt, ut res intelligatur, διὸ καὶ τὸ ἐφεξῆς θηρεύομεν ἀπὸ τοῦ νῦν, ἢ ἄλλου τινὸς, καὶ ἀφ' ὁμοίου, ἢ ἐναντίου, καὶ ἢ τοῦ σύνεγγυς. Perſpicuum eſt, legendum eſſe ἢ τοῦ σύνεγγυς.

ὅταν οὖν ἀναμιμνησκώμεθα, κινούμεθα τῶν προτέρων τινὰ κινήσεων, ἕως ἂν κινηθῶμεν, μεθ' ἣν ἐκείνη εἴωθε: id eſt, Ergo cum recordamur, eatenus pellimur, quoad ab aliquo animi motuum qui antegreſſi ſunt, pellamur, quem ille ſequi ſolet.) Mihi ita legendum uidetur, ὅταν οὖν ἀναμιμνησκώμεθα, κινούμεθα ἕως ἂν κινηθῶμεν, τῶν προτέρων τινὰ κινήσεων μεθ' ἣν, &c. Illud enim totum, ἕως ἂν κινηθῶμεν, traiectum uidetur. τινὰ etiam accuſandi caſus eſt numeri ſingularis, qui ad κινηθῶμεν, non ad κινούμεθα pertinet. Itaq; in hoc toto, μεθ' ἣν, ἣν illud τινὰ refert ac repetit. ἕως quandiu efficere exiſtimo, ita tamen, ut in uerbo κινούμεθα tamdiu intelligendum cenſeam. Quod ex recordandi ratione intelligi poteſt. In nobis enim cum recordari alicuius rei uolumus, inſunt motus, quibus uiciſſim ad eum finem pelli ſolemus, dum ad id quod quærimus, ordine quodam peruenerimus.

Atq;

Atq; hoc ipſum mihi uidetur eſſe, quod uult hoc loco Ariſtoteles.

Δεῖ οὖν διαφέρειν, τὸ ἀναμιμνήσκεσθαι τοτὲ, καὶ ἐνούσης πλείονος ἀρχῆς ἢ ἐξ ἧς, μανθάνειν ἀναμιμνήσκεσθαι. Hic mihi locus corruptus uidetur: hæc enim duo coniuncta uerba infiniti modi, μανθάνειν ἀναμιμνήσκεσθαι, rectè cohærere poſſe non exiſtimo. Mihi ita rectè corrigi uidetur poſſe, ſi uerbo ἀναμιμνήσκεσθαι, quod eſt priore loco, deleto, μανθάνειν, quod traiectum eſt, ſuum in locum quaſi poſtliminio redeat. Quod quo facilius intelligatur, repetendum eſt altius, quem uelit τοτὲ Ariſtoteles dicere. Negat ille, recipere, ſiue rurſus percipere, id eſt ἀναλαμβάνειν, ſcientiam, uel ſenſum, uel habitum, quem memoriam uocauerit, eſſe recordari omnino & continuò, ſi hæc ipſa cum anteceſſerint in aliquo, ab eodem iterum percipiantur, uel ingenerentur. Idq; hinc intelligi poſſe dicit, quòd idem homo eandem rem bis & diſcere poteſt, & inuenire. Ita negat eum qui bis idem diſcat & inueniat, recordari: quòd in eo qui recordetur, aliquid ſupereſſe oporteat. Itaq; concludit, aliud eſſe, hunc qui bis aliquid diſcat, diſcere: aliud, cum magna in illo inſunt principia, recordari. Eſt enim uera hæc huius totius loci ſanè obſcura ſententia. Neq; enim τούτων numero multitudinis legendũ eſt. quod hinc ſciri poteſt, quia ἢ ἐξ ἧς μανθάνει ad τοτὲ refertur, id eſt. eum qui bis idem diſcit. Nec uerò hic tantum obſcurus eſt locus, ſed in hoc libello tot inſunt, ut in nullo plures me pro portione inuenire meminerim. In ijs eſt illud quod initio eſt huius capitis, ἔτι δὲ φανερὸν, ὅτι μνημονεύειν ἔστι, μὴ νῦν ἀναμνησθέντα ἐξ ἀρχῆς διαμένειν, ἢ παθόντα. In quo ἔστι idem quod licet, ſiue fieri poteſt, efficit. Sententia ergo, quam obſcuram præterea tria participia reddunt, eſt talis: Perſpicuum etiam eſt, fieri poſſe, ut is aliquid memoria teneat, qui non nunc recordetur, cum interim ab initio aliquo ſenſu aut animi motu affe-

tu affectus fuerit. In eodem genere illud etiam eſt, quod paulo infrà decimo ferè uerſu ſequitur, οὐδὲν δὲ δεῖ σκοπεῖν τὰ πόρρω πῶς μιμνήσκεσθαι, ἀλλὰ τὰ σύνεγγυς. quod facilius erit, ſi ita ordinē mutemus, πῶς τὰ πόρρω μιμνήσκεσθαι. Sententia enim mihi hæc talis uidetur: Nihil autem neceſſe eſt, cum rei alicuius meminiſſe uolumus, complecti animo, & exquirere res ab ea remotas: ſed ſatis eſt, ſi ei finitimas & uicinas nobis proponamus ad conſiderandum. Nam τὰ πόρρω & τὰ σύνεγγυς ad ordinem rerum, quo memoriam & recordationem conſtare uult, eum referre, ex eo quod ad id confirmandum affert, intelligi poteſt. Ordinem autem rerum duplicem facit, tum eum quem natura rerum affert, tum eum quem parit conſuetudo. Itaq; ſi in alterutro genere ſint quinq; res, non neceſſe eſt, ſi quintam memoria complecti uelim, repetere à prima: poſſum enim à tertia incipiens, eódem peruenire. Ita nō neceſſe eſt, à prima initium conſiderandi facere. Tantum ergo hoc neceſſe eſſe negat. Nam à prima etiam, ſi ita nobis uideatur, exordium capere poſſumus. Obſcurum eſt etiam quodammodo id quod ſequitur, δῆλον γὰρ ὡς αὐτὸς ἐστι τρόπος, πῶς λέγει τὸ ἐφεξῆς, &c. Ita erit facilius, ſi pro πῶς, ὧ, uel ἐν legamus. Ratio autem quam eandem utrobique eſſe dicit, cum aliquis id quod ordine ſequitur, pronunciat aut commemorat, conſuetudo eſt. Ita ſententia huius totius loci hæc erit: Non eſt autem neceſſe, cnm aliquid memoria comprehendere uolumus, à remotis à re quam quærimus, rebus repetere: ſed ſatis eſt, ſi à finitimis atq; uicinis ordiamur. Perſpicuum eſt enim, eundem modum ſcilicet perueniendi quò uolumus eſſe: quippe cum cōſuetudine tam à uicina re, quàm à remota incipientes, ad id quod quærimus, delabi poſſimus. Atque hæc quidem præter inſtitutum.

ὡς τὰ μαθήματα: Cuiuſmodi ſunt diſciplinæ atq; artes.) τὰ μαθήματα non ſolum hoc loco eas artes quæ mathematicorum

ticorum ſunt, complecti uidentur, ſed omnes etiam diſciplinas, propterea quòd omnes diſciplinæ ordine quodam & certo continentur: cum eo quædã facilè memoria comprehendi & teneri dicat, quòd ordine certò conſtant.

Οἷον εἴ τις νενόηκε ἐφ' ὧν α,β,γ,δ,ε,ζ,η,θ. εἰ γὰρ μὴ τοῦ θ,ε, μέμνηται, οὐδὲ τοῦ ε θ ἐμνήσθη. ἐντεῦθεν γὰρ ἐπ' ἄμφω κινηθῆναι ἐνδέχεται καὶ οὐδὲ τὸ δ καὶ οὐδὲ τὸ ε. εἰ δὲ μὴ τούτων τι ἐπιζητεῖ, ἐπὶ τὸ γ ἐλθὼν μνησθήσεται, εἰ τὸ η ἢ τὸ ζ ἐπιζητεῖ· εἰ δὲ μή, ἐπὶ τὸ α, καὶ οὕτως ἀεί. *Literarum exemplum quod hoc loco profertur, multis modis corruptum eſt. Nam & in illo,* εἰ γὰρ μὴ τοῦ θ ε μέμνηται, *ε tantum eſſe debet priore locò, atq; θ poſteriore. &* οὐδὲ *præpoſitio abeſt, &* τὸ, *non* τοῦ *legendum eſt. θ literam tantum eſſe oportere poſteriore loco, ex eo quod ad id probandum affertur, intelligi licet. Ait enim hinc, id eſt à θ, ad utrũq; & ad d & ad e peruenire poſſe. Si ad e perueniri illinc poteſt, nec idem principiũ & finis eſſe in quærendo poteſt, profectò ε poſteriore loco redundat. Ita θ tantum eſſe debet, quippe cum à θ ad δ & ad ε poßit perueniri. Quanquam non uideo quomodo θ poßimus defendere. Eſt enim extremum omnium, ut α primum. Ita fit, ut θ non poßit eſſe quaſi medium & principium, à quo ad alia quæ afferuntur, perueniri poßit. Nam quod aiunt nonnulli, in his Themiſtius, ε medium eſſe, id ambiguum reddunt, aut falſum potius declarant illa Ariſtotelis uerba,* ἐντεῦθεν γὰρ ἐπ' ἄμφω κινηθῆναι ἐνδέχεται καὶ ἐπὶ τὸ δ, καὶ οὐδὲ τὸ ε· εἰ δὲ μὴ τούτων τι οὐδὲ ζητεῖ, οὐδὲ τὸ γ. *Si enim uult Ariſtoteles his uerbis ε uel δ quæri, neutrum uult eſſe principium, ſed aliud, unde eò poßit perueniri. Quod enim quæritur, finis eſt: quemadmodum ex exemplo, quod de autumno paulo antè protulit, intelligi licet. Mihi ergo uidetur Ariſtoteles non unum tantum medium his literis deſignare, ſed multa, duo quidem extrema, quæ principia ſint, A & θ, & interiecta cætera, alijs atq; alijs rationibus. Extrema enim remotißima ſunt*

ma ſunt à medijs, cætera propiora. Vult ergo Ariſtoteles, cum alicuius rei meminiſſe uolumus, ſi ſtatim nobis non occurrat, primùm ex proximis, deinde ex remotioribus exquirere, poſtremò ex primo: quibus ſi admoneri non poſſumus, nunquam eo quidem ordine ac per ſe rem illam repetere memoria poſſe. Vetus autem interpres exemplum affert, quod in græco abeſt. Addit enim hoc totum: Quemadmodum in G ueniens, reminiſcetur, ſi D aut C inquirit.

ἔοικε δὲ τὸ καθόλου ἀρχὴ καὶ τὸ μέσον πάντων: id eſt, Videtur autem id quod generale atq; uniuerſum eſt, principium ratioq; omnium.) Hic locus multis modis à multis conuertitur. Alij enim τὸ καθόλου aduerbium eſſe faciunt: quod mihi non probatur, cum τὸ articulus nomen eſſe indicet. Alij καὶ coniunctionem redundare dicunt. Mihi aliter uidetur, & τὸ in hoc toto, καὶ τὸ μέσον, redundare: niſi fortè traiecta ſunt uerba, ut hoc modo legendum ſit, ἔοικε δὲ τὸ καθόλου καὶ τὸ μέσον ἀρχὴ πάντων: Quod enim generale eſt ac medium, principium eſt omnium quorum medium eſt. Alij ἀρχῇ in dandi caſu legunt, & ἔοικε ſimile eſt dicũt. Alij etiam ſunt, quibus τὸ μέσον ſubiectũ placeat eſſe, quod etiam Themiſtio uidetur. Quocũq; modo explanari placeat, uera ſemper manebit ſententia: Nam & medium principium eſt omnino, & quod generale eſt, principium etiam eſt ratioq; omnium.

Διὸ ἃ πολλάκις ἐννοούμενα, ταχὺ ἀναμιμνησκόμεθα.) Si legamus ἐννοούμενα, non ἃ, ſed τὰ legendum erit. Sin ἃ legi placeat, ἐννοοῦμεν prima perſona multitudinis numero legamus neceſſe eſt.

Νοεῖ δὲ τὰ μεγάλα καὶ πόῤῥω, ὅτῳ ἀποτείνειν ἐκεῖ τὴν διάνοιαν, ὥσπερ τὴν ὄψιν φασί τινες.) Legendum eſt hoc loco non ὅτῳ uno uerbo, cùm aſpero ſpiritu, ut idem quod ita uel ſic efficiat: ſed duobus uocabulis, ὁ τῷ, ut illud τῷ ad ἀποτείνειν infiniti modi referatur. Hic autẽ error ex eo natus eſt, quòd

quòd quia ὥσπερ ſequebatur, οὕτω eius, ut ita dicam, correlatiuum ij qui primi libros Ariſtotelis ediderunt, putauerint. Loquitur autem hoc loco Ariſtoteles de ea animi parte, in qua notitiæ rerum imprimuntur, quaq; cognoſcimus: eamq; negat intelligere magnas res, & eas quæ procul abſunt. τῷ ἀποτάνειν τὴν διάνοιαν, id eſt, animi aciem intendendo foras. διάνοια hoc loco pro animi acumine & acie accipitur, quæ ratio dicitur. Eſt enim in animo id ratio, quod in oculo pupilla. Interdũ διάνοια animus ipſe omnino in hoc genere dicitur, ut cum Cicero in quarto Academicarũ quæſtionum libro dicit: Aduerſantur enim primùm, quòd parum defigunt animos, & intendunt in ea quæ perſpicua ſunt. Nonnunquam διάνοια pro mente, uel potius mentis aſſenſu accipitur, ut paulo infrà dicit, ἐπέχειν τὴν διάνοιαν, quod Cicero in quarto Academicarum quæſtionum libro uocat retinere, ſuſtinere, & cohibere aſſenſum, ſiue aſſenſionem. Totum locum proferam, quo facilius & res intelligatur, & elegans dicẽdi genus notetur. ὅτι δ' σωματικόν τι τὸ πάθος, καὶ ἡ ἀνάμνησις ζήτησις ἐν τοιούτῳ φαντάσματι, σημεῖον τὸ παρενοχλεῖν ἐνίους, ἐπειδὰν μὴ δύνωνται ἀναμνησθῆναι, καὶ πάνυ ἐπέχοντας τὴν διάνοιαν, καὶ οὐκ ἔτι ἐπιχειροῦντας, ἀναμιμνήσκεσθαι οὐδὲν ἧττον, καὶ μάλιστα τοὺς μελαγχολικούς. Duo errores hoc loco corrigendi ſunt, unus initio totius circunſcriptionis. Legendum eſt enim hoc modo, ὅτι δ' σωματικόν τι τὸ πάθος ἡ ἀνάμνησις καὶ ζήτησις, &c. Alter natus eſt ex uitioſa diſtinctione: diſtingui enim debet hoc modo, καὶ οὐκ ἔτι ἐπιχειροῦντας, ἀναμιμνήσκεσθαι οὐδὲν ἧττον. Neque enim ἀναμιμνήσκεσθαι quod ſcriptum eſt, ad ἐπιχειροῦντας pertinet, ſed ad σημεῖον quod anteceßit, quẽadmodum etiam alia duo infinita. Ac ἐπέχειν quidem id efficere quod dixi, hinc intelligi licet, quòd Cicero eodem libro ἐποχὴν retentionem aſſenſionis nominat. διάνοιαν autem aſſenſionem declarare, non perinde perſpicuum eſt.

Itaq; mentem uel animum cohibere, potius dicendum eſſe arbitror, ut intelligamus eos homines, de quibus loquatur Ariſtoteles, maximeq́; melancholicos, cum interdum ſuſtinent mentem, ne recordentur ea quæ nolint, tantum ea illis in mentem uenire. In libello de Somnijs, κατέχειν δόξαν id dicit, quod Cicero in libro quarto Academicarum quæſtionum dicit, modò cohibere aſſenſionem, modò ſuſtinere, καὶ ὅτι μὲν ἡ δόξα λέγει ὅτι ψεῦδος τὸ ὁρώμενον, ὅτι δὲ κατέχεται καὶ ἀκολουθεῖ τῷ φαντάσματι. Itaque notanda eſt hæc interpretatio, κατέχειν δόξαν, ſuſtinere aſſenſionem.

IN LIBELLVM DE SOMNIIS, eiuſdem Perionij Obſeruationes.

Si pauca in his Ariſtotelis de Natura opuſculis notare uideamur, id noſtro inſtituto tribuendũ erit, quod eiuſmodi iam ſæpe eſſe dixi, ut quæ alio loco obſeruata eſſent à nobis, aut quæ facilia, ea minimè notanda cenſeamus. Itaque *nihil in libello de* Somno *& uigilia obſeruauimus.* In hoc *autem, qui eſt de* Somnijs, *pauca dicenda ſunt.* Ac primùm *præclarum genus dicendi, quod Cicero à Græcis, ut pleraque alia, acceptũ, crebris ſermonibus uſurpat, docebimus.*

In primum Caput.

ὥστε δῆλον ὅτι οὔτε ἐνύπνιον πᾶν τὸ ἐν ὕπνῳ φάντασμα, καὶ ὅτι ὃ ἐννοοῦμεν, τῇ δόξῃ δοξάζομεν: id eſt, Ex quo perſpicuum *eſt, nec ſomnia omnia eſſe ea quæ in ſomno uideantur, & quod animo ac mente percipiamus, id nos opinione iudicare.)* Splendidũ eſt *inquam genus dicendi, quod haud ſcio an pauci teneant, cum priore circunſcriptionis loco* οὔτε *à Græcis & nec, uel neq; à noſtris: poſteriore* καὶ *ab illis, ab his & collocatur. Cicero hoc tenet ſæpiſsimè.* In Somnio Scipionis: *Quid autem intereſt, ab ijs qui poſtea naſcentur ſermonem fore de te, cum ab ijs nullus fuerit, qui antè nati ſint? qui nec pauciores, & certè meliores fuerunt uiri?*

Hæc ad duo uerba interdum, ut apud Ariſtotelem ſuperiore exemplo, ſic apud Ciceronem pertinent. ueluti eodem in libro: Nec *enim ſilentio tanti motus incitari poſſunt, & natura fert, ut extrema ex altera parte grauiter, ex altera autem acutè ſonent.* Paulo *etiam ſuprà :* Nam *ea quæ eſt media & nona, tellus neq; mouetur, & infima eſt, & in eam feruntur omnia ſuo nutu pondera.*

Καὶ ὑγιαίνουσι δὲ καὶ εἰδόσιν, ὅμως ὁ ἥλιος ποδιαῖος εἶναι δοκεῖ: Quinetiam *ualentibus & ſcientibus tamen ſol pedalis uidetur.)* Alio *loco docui,* ὑγιαίνειν *dicendum eſſe ualere. quod & ſi uerum eſt, tamen in participio præſentis temporis, multitudinis numero, multo eſt euidentius.* ποδιαῖος *pedalis, non, ut à quodam, pedaneus ſol dicendus eſt.* Cicero *in quarto* Academicarum *quæſtionum libro :* Quid *poteſt eſſe ſole maius ? quem* Mathematici *amplius duodeuiginti partibus confirmant maiorem eſſe quàm terram, quantulus nobis uidetur ? mihi quidem quaſi pedalis .* Illud *autem* ὅμως, *cum* καίπερ *uel* εἰ καὶ *non anteceſſit,* Cicero *ſæpe dicit.* Exemplorum *huius generis magna eſt apud illum copia: ſed ſatis erit rem intelligi, ut notetur.* In *tertio de* Finibus *libro :* Itemq; *hinc illud eſſe exortũ, quod* Zeno προηγμένον, *contraq; quod* ἀποπροηγμένον *nominauit, cum uteretur in lingua copioſa factis tamen nominibus ac nouis.* εἰδόσιν *hoc loco eſt apud* Ariſtotelem, *id eſt ſcientibus.* Alij *cum cernẽtibus & uidẽtibus uertãt,* ἰδοῦσιν *legiſſe mihi uidẽtur.*

In ſecundum Caput.

Παραπλήσιον γὰρ τὸ πάθος ἐπί τι τούτων, καὶ ἐπὶ τῶν φερομένων ἔοικεν εἶναι: *id eſt,* Idem *enim in his uidetur contingere, & in ijs quæ pulſu agitantur.)* φέρεσθαι *hoc loco uim quandam ineſſe declarat.* Itaq; *ad ea quæ ui quadam ab alio impelluntur, referendum eſt.* φερόμενα *ergo ea ſunt, quæ pulſu alterius mouentur, non ſuo : quod* Cicero *ad homines transferens, iactari* φέρεσθαι *dicit, ut* Iactari *in turba.*

Καὶ ἀπὸ τῶν κινουμένων δὲ μεταβάλλουσιν, οἷον ποταμῶν, μάλιστα δ᾽ ἀπὸ τῶν τάχιστα ῥεόντων, φαίνονται τὰ ἠρεμοῦντα κινούμενα: id eſt, Quinetiam cum ab ijs quæ motu feruntur, ut à fluminibus, tum uel maximè ab ijs quæ maximo impetu feruntur, ſi oculos aliò conuertamus, ea quæ ſtant & quieſcunt, moueri uidentur.) In hoc participio μεταβάλλουσιν accuſandi caſus τὴν ὄψιν intelligitur: quemadmodum paulo antè dixit Ariſtoteles, ἐφ᾽ ὅπερ ἂν τὴν ὄψιν μεταβάλλωσιν, id eſt quòcunq; oculos & aſpectum conuerterint. μεταβάλλειν enim hoc loco non ſolum ſignificat id quod ſæpè, mutare, uerùm etiam conuertere, auertere, ſiue aliò conijcere & uertere. Quod etiam paulo antè, tertio ferè uerſu, μεταφέρειν τὴν αἴσθησιν. Vt autem in participio μεταβάλλουσιν accuſandi caſus intelligitur, ſic hæc omnia, ἀπὸ τῶν κινουμένων, ad idem participium pertinēt: ut dicamus, eis qui oculos à rebus quæ moueātur, aliò cōijciant, ea quæ ſtant, moueri uideri. ἠρεμεῖν enim in hoc Cicero ſtare ſolet dicere. In quarto Academicarum quæſtionum libro: Vides'ne nauem illam? ſtare nobis uidetur: at ijs qui in naui ſunt, moueri hæc uilla. Quare rationem cur ita uideatur: quam ut maximè inueneris, quod haud ſcio an ne poßis, &c. Ariſtoteles rationē cur ita uideatur, affert paulo infrà his uerbis, τοῦ δὲ διαψεύδεσθαι αἴτιον, ὅτι οὐ μόνον τοῦ αἰσθητοῦ κινουμένου φαίνεται ἅ δή ποτε, ἀλλὰ καὶ τῆς αἰσθήσεως κινουμένης αὐτῆς, ἐὰν ὡσαύτως κινῆται ὥσπερ ὑπὸ τοῦ αἰσθητοῦ. λέγω δ᾽ οἷον ἡ γῆ δοκεῖ τοῖς πλέουσι κινεῖσθαι, κινουμένης τῆς ὄψεως ὑπ᾽ ἄλλου: id eſt, Fallimur autem, ac mentimur his in rebus, propterea quòd non ſolum cum res quæ ſenſum mouet, pulſu agitatur, apparent nobis qualeſcunq; res, ſed etiam cum ipſe ſenſus mouetur, præſertim ſi eodem modo, quo à re quæ ſenſui obijcitur: ueluti terra nauigantibus moueri uidetur, quòd aſpectus ab alio mouetur. Cauſa ergo, cur nauigātibus terra, arbores, aliaq; quæ obiecta ſunt eorum aſpectui, moueri

uideantur, eſt cernendi ſenſus, qui ab alio mouetur. Hoc au*tem extremum de nauigantibus* Cicero *in ſecundo de* Di*uinatione libro tranſtulit his uerbis:* Nam *& nauigantibus moueri uidentur ea quæ ſtant.*

Γίνονται δὲ καὶ ἀπὸ τῶν μεγάλων ψόφων δύσκωφοι: Atque *etiam uehementes ſonorum appulſus homines ſurdaſtros efficiunt.*) Cicero in Somnio Scipionis *ſimile quiddam aſſerit, cum de ſonis quos ex* Pythagora *orbes cœleſtes efficiãt, diſputat:* Hoc, *inquit, ſonitu completæ aures obſurduerunt, nec eſt ullus hebetior ſenſus in uobis, ſicut in illis, ubi* Nilus *ad illa quæ* Catadupa *nominantur præcipitat ex altiſſimis montibus, ea gens quæ illum locum accolit, propter magnitudinem ſonitus, ſenſu audiendi caret.*

In tertium Caput.

Μεθ' ἡμέραν μὲν γὰρ ἐκκρούονται, ἐνεργουσῶν τῶν αἰσθήσεων καὶ τῆς διανοίας, καὶ ἀφανίζονται ὥσπερ παρὰ πολὺ πῦρ ἔλαττον καὶ λῦπαι καὶ ἡδοναὶ μικραὶ παρὰ μεγάλας: id eſt, Interdiu *enim cum ſenſus intenti ſunt & occupati, unà cum mente expelluntur, obruunturq́; ut paruus ignis à magno, ſic à magnis parui dolores & uoluptates.*) ἐνεργεῖν τὰς αἰσθήσεις, *alio loco docui dici ſenſus intentos eſſe & occupatos.* Alias *à* Cicerone, *ut alio etiam loco docui, fungi munere dicitur.* ἀφανίζεσθαι *autem hac in re obſcurari & obrui à* Cicerone *dici ſolet: quæ quidem interpretatio ut intelligatur cuius ſit uerbi, nonnunquam non apparere dicit. ut in quarto de* Finib. *Sin dicit obſcurari quædã, nec apparere, quia ualde parua ſint, nos quoq; concedimus, quod dicit* Epicurus *etiam de uoluptate, quæ minimæ ſint uoluptates, eas obſcurari ſæpe, & obrui.* Hoc idem *obfundi dicit, & interire.* In *tertio de* Finibus: Vt *enim obſcuratur & obfunditur luce ſolis lumen lucernæ, & ut interit magnitudine maris* Aegæi *ſtilla muriæ, & ut in diuitijs* Crœſi *teruncij acceſſio, & gradus unus in ea uia quæ eſt hinc in* Indiam: *ſic*

cum ſit is bonorum finis, quem Stoici dicunt, omnis iſta re rum incorporearum aſtimatio ſplendore uirtutis & magnitudine obſcuretur & obruatur atq; intereat neceſſe eſt. Ex *quibus exemplis intelligi licet, id quod & multis locis iam docui, & poſthac aliquando libro hac de re nominatim ſcripto docturus ſum, Græcos à noſtris copia longè multũq; ſuperari: neq; enim uerbũ hac in re aliud illi dicũt.*

Νύκτωρ δὲ διὰ ἀργίαν τῶν κατὰ τὰ μόρια αἰσθήσεων καὶ ἀδυναμίαν τοῦ ἐνεργεῖν, διὰ τὸ ἐκ τῶν ἔξω εἰς τὸ ἐντὸς γίνεσθαι τὴν τοῦ θερμοῦ παλίρροιαν, ἐπὶ τὴν ἀρχὴν καταφέρονται, καὶ γίνονται φανεραὶ καθισταμένης τῆς ταραχῆς: *id eſt*, Noctu uerò, *cum languore corporis ſenſus confecti, nihil agere poſſunt, quòd calor ex ſummis membris in intimas partes ſe regerit, ad ſenſus fontem delabuntur, tumq; euidentiores fiunt, omni perturbatione ſedata.*) *Cicero in ſecundo de Diuinatione libro ferè extremo hunc* Ariſtotelis *locum profert his uerbis:* Naturam autem eam dico, *qua nunquam animus inſiſtens, agitatione & motu eſſe uacuus poteſt.* Is *cum languore corporis, nec membris uti, nec ſenſibus poteſt, incidit in uiſa uaria & incerta ex reliquijs, ut ait* Ariſtoteles, *inhærentibus earum rerum quas uigilans geſſerit aut cogitarit, quorum perturbatione mirabiles interdum exiſtunt ſpecies ſomniorum.* Quod Cicero dicit, Ex *reliquijs inhærentibus, &c. eſt paulo infrà apud* Ariſtotelem *hoc in libro,* ὅτι καὶ ἐν τῷ καθεύδειν τὰ φαντάσματα καὶ αἱ ὑπόλοιποι κινήσεις αἱ συμβαίνουσαι ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων, ὁτὲ μὲν ὑπὸ μείζονος οὔσης τῆς εἰρημένης κινήσεως, ἀφανίζονται πάμπαν· ὁτὲ δὲ τεταραγμέναι φαίνονται αἱ ὄψεις καὶ τερατώδεις, καὶ οὐκ ἐρρωμένα τὰ ἐνύπνια. Diſertè dixit, Mirabiles interdum exiſtũt ſpecies ſomniorum, ὁτὲ τερατώδεις φαίνονται αἱ ὄψεις, &c. Paulo infrà, τούτων δὲ ἕκαστόν ἐστιν, ὥσπερ εἴρηται, ὑπόλειμμα τοῦ ἐν τῇ ἐνεργείᾳ αἰσθήματος, hoc Cicero diſertè dixit, quod uigilans geßit. Quoniam *autem uigilantes aut agimus aliquid,*

quid, aut cogitamus, paulo infrà eodem libro, τὸ ὑπόλειμμα τοῦ ἐν τῇ ἐνεργείᾳ αἰσθήματος, uel τὰς ὑπολοίπας κινήσεις τὰς συμβαινούσας ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων, uertit: Reliquiæ rerũ earum mouentur in animis, & agitantur, de quibus uigilantes aut cogitauimus, aut egimus. & ἀργίαν τοῦ σώματος, uel τῶν κατὰ τὰ μόρια αἰσθήσεων, Languorem corporis, ut ſuperiore exemplo nominat. & τεταραγμέναι πάμπαν φαίνονται αἱ ὄψεις, Formæ uerſantur in animis confuſæ. Verba eius hæc ſunt: Animorum eſt ea uis, eaq; natura, ut uigeant uigilantes nullo aduentitio pulſu, ſed ſuo motu, incredibili quadam celeritate. Hi cum ſuſtinentur membris & corporis & ſenſibus, omnia certiora cernunt, cogitant, ſentiũt. Cum autem hæc ſubtracta ſunt, deſertusq; eſt animus languore corporis, tum agitatur ipſe per ſeſe. Itaq; in eo & formæ uerſantur, & actiones: & multa audiri, multa dici uidentur. Hæc ſcilicet imbecillo remiſſoq; animo multa omnibus modis confuſa & uariata uerſantur, maximeq; reliquiæ rerũ earum mouentur in animis, & agitantur, de quibus uigilãtes aut cogitauimus, aut egimus. Αἱ ἀργίαν τῶν κατὰ τὰ μόρια αἰσθήσεων καὶ ἀδυναμίαν τοῦ ἐνεργεῖν, diſertè dixit in exẽplo quod primo loco protuli, Languore corporis nec membris uti, nec ſenſibus poſſe.

ἔνιοι δὲ καὶ ἀποκρίνονται ἐρωτώμενοι. ἐνδέχεται γὰρ τοῦ ἐγρηγορέναι καὶ καθεύδειν ἁπλῶς θατέρου ὑπάρχοντος, θατέρου πῃ ὑπάρχειν. ὧν οὐδὲν ἐνύπνιον φατέον, οὐδ' ὅσαι δὴ ἐν τῷ ὕπνῳ γίνονται ἀληθεῖς ἔννοιαι παρὰ τὰ φαντάσματα: id eſt, Nonnulli uerò etiam rogati reſpõdent, propterea quòd fieri poteſt, ut tum cum planè uel uigilamus, uel dormimus, ſi alterum in nobis ineſt, alterum etiam nobis quodam modo conueniat, quorum neutrum ſomnium eſſe concedendum eſt, nec eas omnes notitias quæ in ſomno ueræ nobis præter uiſa incidũt.) Tribus modis, ut Græci dicũt, ἐν ὕπνῳ ἢ ὕπνοις, καθ' ὕπνον, & διὰ τὸν ὕπνον, ſic Latini, ut Cicero in uno

eodemq;

eodemq́; libro de Diuinatione, id eſt ſecundo extremo. Ac illud quidem in ſomno aliquid uidere aut agere, tritum eſt. Illud autem καθ' ὕπνον, Cicerò ferè ſecundũ quietem ſolet dicere, ut illo ipſo libro extremo: Siue enim externus & aduentitius pulſus animos dormientium cõmouet, ſiue per ſe ipſi animi mouentur, ſiue quæ cauſa alia eſt, cur ſecundum quietẽ aliquid uidere, audire, agere uideamur, eadem cauſa uigilantibus eſſe poterat: idq́; ſi noſtri cauſa dei ſecundum quietem facerent, uigilantibus idem facerent. διὰ τὸν ὕπνον uerbum è uerbo per ſomnum dicit, eodem libro, paulo infrà: Fuit igitur diuina beneficentia dignius, cum conſulerent nobis, clariora uiſa dare uigilanti, quàm obſcuriora per ſomnum. Somnum enim à ſomno legendum eſt, non ſomnium in neutro genere. Eſt enim ſemper apud Ariſtotelem, διὰ τὸν ὕπνον. ut in libro de Diuinatione, ἀταραχωδέστερος γὰρ μᾶλλον ὁ ἀὴρ τῶν νυκτῶν, διὰ τὸ ἠνεμωτέρας εἶναι τὰς νύκτας, καὶ ἐν τῷ σώματι ποιεῖν αἴσθησιν διὰ τὸν ὕπνον. διὰ τὸ καὶ τῶν μικρῶν κινήσεων τῶν ἐντὸς αἰσθάνεσθαι καθεύδοντας μᾶλλον, ἢ ἐγρηγορότας. Præterea contraria ſunt, uigilanti & per ſomnum, non uigilanti & per ſomnium. Vigilare enim & dormire, contraria ſunt, non uigilare & ſomniare. Et ipſe Cicero teſtis eſt, ita eſſe legendum, cum ſuperiore loco, & alijs quæ eodẽ in libro ſunt poſita, ſecundum quietem & uigilanti ſolet dicere. Dicit etiam eodem libro, καθ' ὕπνον, ἀλλὰ μὴν καὶ ἔνιά γε τῶν καθ' ὕπνον φαντασμάτων αἴτια εἶναι τῶν οἰκείων ἑκάστῳ πράξεων, οὐκ ἄλογον.

ἤδη δέ τισι συμβέβηκεν, ὥστε μηδὲν ἐνύπνιον κατὰ τὸν βίον ἑωρακέναι: id eſt, Sunt enim quidã, quibus in uita ſomnium nullum uidere contigit.) ἐνύπνιον ὁρᾶν, uerbum è uerbo Cicero ſomnium uidere dicit. Quod non admonuiſſem, niſi aliquos futuros putaſſem, qui hoc dicendi genus, ut à uulgo petitum, eijciendum cenſerent. In libro ſecundo de Diuinatione extremo; Si igitur neq; Deus eſt effector ſomniorum,

neq; naturæ ſocietas ulla cum ſomnijs, neque obſeruatione inueniri potuit ſcientia: effectum eſt, ut nihil prorſus ſomnijs tribuendum ſit, præſertim cum illi ipſi qui ea uident, nihil diuinent. & quæ ſequuntur.

EIVSDEM PERIONII IN LIbrum Ariſtotelis de Diuinatione per ſomnum, Obſeruationes.

Τό τε γὰρ θεὸν εἶναι τὸν πέμποντα, πρὸς τῇ ἄλλῃ ἀλογίᾳ, καὶ τὸ μὴ τοῖς βελτίστοις καὶ φρονιμωτάτοις, ἀλλὰ τοῖς τυχοῦσι πέμπειν, ἄτοπον: *id eſt, Nam Deum eſſe qui ſomnia mittat, præter alia quæ à ratione aliena ſunt, etiam illud alienum eſt, & maieſtate Dei indignum, eum illam non optimis uiris, & prudentiſſimis, ſed quibuſuis mittere.) Cicero in libro ſecundo de Diuinatione extremo, hunc de Diuinatione per ſomnum locum longa ſanè oratione tractauit. Atque idem præter alias rationes, quibus diuinationē illam tollit, eam quoq; quam hoc loco Ariſtoteles affert, attigit.* πέμπειν τὰ ἐνύπνια, *uerbum è uerbo mittere ſomnia, & mitti ſomnia à Deo, quod uno uerbo pôſt Ariſtoteles dicit,* θεόπεμπτα ἄναι, *Cicero dicit ſecundo de Diuinatione: Et ſi uera à Deo mittuntur, falſa unde naſcuntur?*

ἡ γὰρ φύσις δαιμονία, ἀλλ' οὐ θεία: *id eſt, Siquidem natura* δαιμονία, *non diuina eſt.) Græcum uerbum hoc loco relinquere malui, quàm latinum minùs uſitatum ponere, præſertim cum* θεία *Ariſtoteles dixerit, quod niſi diuina dicere non poſſumus. Cicero autem quodam loco* δαιμόνιον *diuinum dixit: quod, ut dixi, hoc loco nobis non licet dicere. In primo de Diuinatione: Hoc nimirum eſt illud, quod de Socrate accepimus, quodq; ab ipſo in libris Socraticorum ſæpe dicitur, eſſe diuinum quiddam, quod* δαιμόνιον *appellat, cui ſemper ipſe paruerit, nunquam impellenti, ſæpe reuocanti. Huius rei cauſa hæc apud Ariſtotelem ſequitur,*

σημεῖον

